


**05**

**A**

**1915**





DISPUTATIO  
THEOLOGICA

De

UNIVERSALI  
OMNIUM HOMINUM  
AD REGNUM COELORUM  
VOCATIONE;

Deo Opt. Maxim. Adjuvante,

In Inclytâ VVITTEBERGENSI ACADEMIA,  
Publici Exercitii causâ proposita

à

NICOLAO HUNNIO,

S. S. Theolog. D. & Prof. Publ.

RESPONDENTE

M. LUDOVICO DUNTE

Revaliensi Livono.

*Ad diem 21. Junij, In Auditorio majore,  
horis matutinis.*



WITTEBERGÆ

Excudebat JOHANNES GORMANNUS,

Anno MDCXXII.

39

IN THEATRO  
THEATRUM

UNIVERSALIS

OMNIVM HOMINVM

AD REGNUM CAELORVM



NICOLAUS

15/1915

M. ANDRÉO DUBIT

Rev. Hoffm. Livorno

...

...

VITTE...

...

...





In Nomine Iesu Christi,

Amen.

DE UNIVERSALI OMNIUM  
HOMINUM AD REGNUM COE-  
LORUM VOCATIONE.



<sup>1.</sup> Ultis annis agitata fuit controversia: An Deus inde à primorum parentum lapsu, in hoc usq; tempus omnes omnino homines, nullo excepto, ad suum regnum & participationem aeternae vitae, seriâ & efficaci vocatione vocarit, & adhuc vocet? Occasio controversiæ hæc est:

2. Salutaris Dei dilectio & Voluntas, omnes homines ad æternam beatitudinem pervenire cupiens, cum vocatione ad perfruitionem ejus felicitatis homines poscente æquali ambitu comprehenditur, ut quemcunq; Deus gratiose vocat, hunc salvum fieri velit, & quemcunq; vult salvum fieri, hunc ad regnum suum vocet; ideò latitudinem divini amoris ex amplitudine vocationis, & hanc ex illâ indubiè æstimamus.

3. Reformati autem æqualitatem unâ nobiscum agnoscetes dilectionem dicunt particularem, quia vocatio sit talis; Et vocationem particularem, quia talis sit dilectio: Inde hæc, quam diximus, controversia.

4. Res maximi momenti: siquidem enim amoris universalitas ejusmodi partem fundamenti fidei constituit, sine qua fiducia, Dei gratiâ firmiter nixa, nullo prorsus modo fingi, aut dari potest, concluditur, aut nullam esse fidem, aut gratiam Dei universalem, & consequenter vocationem, ad omnes mor-

tales æqualiter extensam: cùm vicissim salvâ vocatione omnium, salva sit Dei gratia, & in hac salva fides.

5. In veritatem rei inquisituris, per hæc theoremata agere placuit.

I. Vocatio est manifestatio divinæ voluntatis, desiderantis omnes homines per Christum æternâ vitâ donari, & adhortatio ad capeffendum hoc oblatum beneficium.

6. Vocare aliquando est, nomen imponere. *Gen. 1, v. 8. cap. 19, v. 37, 38. Luc. 1, v. 59, 60, 62. cap. 2, v. 21. &c. accersere Gen. 12, v. 18. cap. 24, v. 57. Matth. 20, v. 8. certo officio destinare, Esa. 22, v. 20. Et speciatim, destinare muneri Prophetico, Apostolico, & Ecclesiastico. Esa. 49, v. 1. Matth. 4, v. 21. Hebr. 5, v. 4. Atq; hi significatus omnes, & si qui sunt alii civiles, à nostro instituto prorsus sunt alieni;*

7. Dicuntur autem peculiariter vocari, quibus manifestatur voluntas Dei de hominibus in gratiam recipiendis, cum exhortatione ad credendum huic nuncio, & percipiendum fructus hujus gratiæ *Matth. 9, v. 13. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam Rom. 9, v. 24. Quos vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus. Rom. 8, v. 30. Quos prædestinavit, hos vocavit, quos vocavit, hos & justificavit &c. Gal. 1, v. 6. transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, 1. Thess 2, vers. 12. Deus vocavit vos in suum regnum & gloriam.*

8. Explicatur ea vocatio parabolâ Regis emittentis servos invitatum hospites, ad nuptias sui filii *Matth. 22, v. 2, 3. Et patrisfamilias invitantis vicinos ad cenam magnam, quam parat. Luc. 14, v. 16. Ut ostendatur, quæ sit illa vocatio ad regnum & gloriam Christi, invitatio nempe, petitio, adhortatio, sollicitatio, ut homines Deo gratiam spondenti credant, & certâ fiduciâ ad ipsum conversi promissionum impletionem piâ patientia expectent.*

9. Hinc aliquando rotus Christianismus dicitur vocatio. 1. Cor.

1. *Corinth. 1. v. 26.* Videte vocationem vestram, non multi sapientes secundum carnem &c. *Ephes. 1. v. 18.* Deus det vobis illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis vestræ. 2. *Petr. 1. v. 10.* per bona opera certam vestram vocationem faciatis: Et *vocati* idem quod *Christiani*, quamvis discrimen observandum, non parvi momenti.

10. Etenim vocati aut dicuntur *participialiter*, aut *nominaliter*, hi appellantur κλητῆς *Matt. 20. v. 16. c. 22. v. 14* Multi vocati, pauci electi. *Rom. 1. v. 6.* Vos vocati Jesu Christi. *v. 7.* omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis *cap. 8. v. 24.* omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt. *1. Corinth. 1. v. 2.* Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis. *v. 24.* Iphis autem vocatis Judæis & gentibus Christum, Dei virtutem *Apo. 17. v. 14.* qui eum agnoscunt, vocati electi, & fideles,

11. Illi κεκλημένοι, *Luc. 14. v. 17.* misit servum suum horæ cœnæ, dicere invitatis, ut venirent. *v. 24.* nemo virorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. *Matth. 22. v. 3.* misit servos suos, vocare invitatos ad nuptias & volebant venire. *v. 8.* nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni: quamvis nolimus inficiari, κεκλημένοις aliquando dici, qui *vocationi* parent: nam *Luc. 14. v. 7.* dicebat ad *invitados* (accumbentes puta) hanc parabolam &c.

12. *Diversitas* utriusq; vocis hæc est: quemadmodum *in scholâ & concionibus* omnes discipuli ac auditores, quantum est ex parte docentis, informantur, multi tamen negligentes, neq; doctrinam capientes, manent rudes; alii diligenter attendentes, evadunt docti: utriq; *docti* sunt, illi *participialiter*, hi *nominaliter*: non aliter, ad epulas vocati hospites, omnes *vocati*, sed qui comparent *nominaliter* κλητοῖς, emanentes tantum *participialiter* κεκλημένοι.

13. Etsi verò non in omnibus verbis hoc discrimen locum inveniat, cum ex scripturæ usu non sint alii ἐκλεκτοῖς, alii ἐκλελεγμένοι, quia electio est decretum Dei, quod mutare, in hominum potestate non est; in iis tamen actibus divinis notandum venit, ubi requiritur hominum, si non actio, attamen

non-reluctantia: hoc est, quos impedire potest humana malitia, quò minus effectum, quem intendunt, consequantur, qualis est vocatio.

14. Contententes ergò de vocatione omnium hominum, minimè hoc volumus, quòd omnes congregentur *actu*, & vocanti Deo pareant, sed quòd à Deo omnes *vocentur*, abstrahendo, ane omnes, vel ullus omnium, vocationem acceptet; tantùm, quòd *ex parte Dei non stet, quin veniant omnes*; hoc est quæritur de *κεκλημένοις*, non autem de *κλητοῖς*, illos enim asserimus omnes mortales, hos pauciores ex hominum genere.

15. II. Vocatio divina ad regnum cœlorum homines invitans, quantum est ex parte Dei, semper est una & eadem, etsi ratione hominis recipientis aut repugnantis modò sit externa, modò interna.

Vocationem variè distinguunt reformati, præcipuè autem duas adhibent distinctiones; unam, vocationis in *externam*, & *internam*; alteram in *efficacem*, & *inefficacem*.

16. De *priore* ita sentimus: Vocatio dicitur externa & interna, vel ratione *modi proponendi*, vel *ratione efficacie*; ut *prioris sensu* sit externa vocatio, quæ auribus hominum objiciatur; iisq; mediantibus ad cor, ipsamq; animam deferatur; *interna* autem, quæ non per externa media fiat, sed immediatè ad cor ipsum loquatur, cujusmodi vocationem expectare jubent fanatici: *posteriore* autem sensu *externa* sit vocatio, quæ in sensibus externis hærens, viscera, ipsamq; inprimis animam, non tangat, cum *interna* minimè hæreat in sensibus, sed cor moveat & convertat: quid de utroq; distinctionis significato sentiant reformati, postea videbimus, quando mentem nostram prius declaraverimus. Ita verò sentimus:

17. Cùm vocatio hominum ad regnum Dei forinsecus per verbum proponatur, negandum non est, vocationem divinam aliquando manere *externam*, hoc est, ab audientibus cognosci



gnosci tantum sensu externo, & ut historiam, quæ cor non moveat, neq; hominem convertat; aliquando *internam* fieri, quæ viscera tangat, cor aperiat, pungat, ad pœnitentiam moveat, & ad veram fidem convertat.

18. Minimè verò affirmandum, Deum duos distinctos servare vocationis modos, eosq; separatos, ut *per divinam operationem* vocatio *externa* in contemtoribus non possit fieri *interna*, in solis autem obedientibus vocatio sit etiam *interna*, prorsus diversa ab hac, qua increduli fuerant vocati.

19. Etenim, verbum prædicatum in aures missum, ubi & cuicunq; prædicetur, est divina virtus atque potentia, non aures corporis tantum percillens, sed etiam ad interiora penetrans, cor efficaciter pungens, movens, vertens, ut ad refractarios non aliam vocationem mittat Deus, quàm ad fideles: utrinque hoc saltem est discriminis, quòd hi vocanti parent, & vocationem admittunt, illi eandem repellunt.

20. *Causa* igitur, quòd divina vocatio est quibusdam *interna*, aliis solùm *externa*, non est in vocante, quasi Deus aliquando, nolit ad animum & cor pervenire verbum auribus immissum, sed *in audientibus*, quòd ipsi vocationem à suis interioribus excludant, eoque faciant, ut vocatio quæ ex parte & intentione Dei futura erat *interna*, maneat *externa*, quippè à corde exclusa.

21. Etsi autem reformatis ut in nullâ re, sic neque in hoc themate nullam opinionem sinistram affingere, animum inducamus, quos tamen errores ipsi satis clarè loquuntur, optimo jure quibusvis bonis considerandos exhibemus.

22. Dicunt ergò. 1. *Duos esse vocationis modos*, unum externum, per prædicationem ministri, & alterum internum per occultum instinctum & adflatum Spiritus Sancti. Calvinus instit. lib. 4. cap. 24. §. 8. *Est universalis vocatio, qua per externam verbi prædicationem omnes pariter ad se invitat Deus: etiam quibus eam in mortis odorem & gravioris condemnationis materiam proponit. Est altera specialis, qua ut plurimum solos fideles dignatur, dum interiori sui Spiritus illuminatione efficit, ut verbum prædicatum eorum*  
cordibus

cordibus infideat. Idem in Joel. 2, v. 32. pag. 201. Dicitur quidem  
sepe Dominus vocare homines, dum eos compellat voce Evangelii sui, sed  
precedit interea vocatio arcana, ubi Deus sibi destinat, quos vult esse sal-  
vos. Ergo interior est vocatio, quæ residet in arcano Dei consilio; sequi-  
tur deinde vocatio, qua nos facit vere participes suæ adoptionis. Idem  
in Rom. 10, v. 16. pag. 78. significat (Apostolus) non aliter extare  
verbi profectum, nisi dum spiritus sui luce Deus affulget, atq; ita ab ex-  
ternâ hominis voce distinguitur interior vocatio, quæ sola efficax est, &  
solis electis propria. Et paulò post hanc interiorem, nominat pecu-  
liarem revelationem. Polanus syntagm. tom. 2. lib. 6. c. 32. p. 316.  
317. Hominum vocatio duplex est, externa & interna. Externa vo-  
catio est, quæ fori fit per externa media, veluti opera nature, vel gratiæ,  
vel signa, aut per ministros predicantes verbum Dei, quos Deus mittere  
ad nos homines dignatur. Interna vocatio est, quæ intus in corde fit  
per spiritum sanctum, per quem pater singulos ad vitam æternam electos  
secundum propositum filio donat, ut eos per fidem in Christum ad salu-  
tem æternam perducatur. P. Martyr in Rom. 8. pag. 304. Ex his ver-  
bis indicare videtur distinctionem quandam vocationum. Alia enim  
externa est per sacras literas & conciones; alia interna, qua animus  
ipse divino instinctu afficitur. Pareus in Rom. 8. p. 759 primus pro-  
positi effectus, & gradus ad gloriam est vocatio electorum ad fidem Chri-  
sti. Fit ea fori per Evangelium; hæc externa communis est omnibus, sed  
non efficax in omnibus. In predestinatis igitur accedit interna spiritus  
gratia, qua vocatio fit efficax, & p. 799. Quomodo Apostolus dicat: quos  
vocavit, hos justificavit: cum Christus contra: multi vocati, pauci ele-  
cti? Resp. Non est pugnancia, quia Apostolus loquitur de vocatione non  
modo vocali, & externâ per verbum, sed etiam de internâ per gratiam  
spiritus: Christus verò de vocali, & externâ tantum. Beza resp. alt.  
ad act. Coll. Momp. p. 86. Ne cum externa quidem vocatione ne-  
cessario & semper est interna divinitus conjuncta, non tantum, quoad  
efficacitatem, sed ne quoad ipsum Deum quidem, externa voce servorum  
suorum ministerio utentem attinet, Kimed. lib. de præd. cap. 14.  
pag. 585. seq. Distinguendum est inter vocationem externam & inter-  
nam. Interior, eademq; efficax est ad Christum vocatio electorum pro-  
pria; quam Paulus appellat vocationem secundum propositum Dei. Est  
autem vocatio ista nihil aliud, quam divinus quidam instinctus, quo mo-  
vetur

vetur homo ad assentiendum & obtemperandum Evangelio hoc est, ad fidem & conversionem. Et hæc vocatio fit partim verbo, partim & principaliter, afflatu Spiritus Sancti, corda intus illuminantis & moventis. Hinc sanè, cum Evangelium predicatur, quidam credunt, quidam non credunt, imò contradicunt. Nam qui credunt predicatore forinsecus sonante, intus à patre audiunt & discunt: qui a. non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neq; discunt; hoc est, illis datur, ut credant, illis non datur, quia nemo (inquit) venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Trelocat. instit. Loc. Comm. lib. 2. pag. 102. 103. Externa vocatio est actio Dei gratiosa, qua homines, sermone, signo, & opere ab infidelitate ad fidem evocat, tum ut ad salutis communionem fideles disponantur, tum ut alii evicti de oblata à Deo gratia, fiant inexcusabiles. Interna, est actio Dei gratiosa, qua electi ab æterno suo tempore ex Dei beneplacito, propter meritum Christi per Spiritum Sanctum intus informantur ad perceptionem & communionem gratiæ & gloriæ Dei, propter salutem ipsorum & misericordie divini gloriam.

23. II. Externam vocationem esse, quæ tantùm hæret in externis sensibus, ad animam non penetret, multò minus cor moveat & convertat. Internam vicissim, quæ per externum medium verbi, efficaciam suam in interiora cordis penetrans animam moveat & convertat. Pareus in Rom. 1. p. 159. Vocatio ad cognoscendum Deum, & ad salutem alia externa tantum, & communis vel omnibus, quæ fit per naturæ instinctum, & creationis opera, vel non omnibus, quæ fit per verbum: Ultraq; efficax in solis electis, inefficax in reliquis. Alia interna simul per gratiam Spiritus, electorum propria & semper efficax. Piscat. in Matth. 20. Quærat aliquis quomodo cum hac sententia Christi, (multi vocati, pauci electi) conveniat doctrina Pauli. Rom. 8. v. 30? Resp. Christus loquitur de vocatione externa, qua per Evangelii predicationem vocantur tam reprobi, quam electi; at Paulus loquitur de vocatione interna, seu efficaci, qua Spiritus Sanctus per Evangelii predicationem est efficax in cordibus electorum, donando illis fidem qua justificantur & salvantur. Idem repetit in Rom. 8. pag. 910. Calvinus Comm. in Epistolam. Rom. 8. v. 30. Deus sua vocatione palam testatur de arcano suo consilio; hoc verò testimonium non in sola externa predicatione consistit, sed adjunctam habet efficaciam spiritus; quia de electis agitur, quos Deus non voce tantùm compellat,

B<sub>1</sub>

sed

*sed intus etiam trahit. Expressius hoc reddit Instit. lib. 3. cap. 24. S. 2. Vocatio non sola verbi prædicatione, sed & Spiritus illuminatione constat.*

24. Utroq; sensu errant reformati errorem non ferendum: priore quidem, quòd faciunt duplicem actum, *externum, prædicationis, qui fit ministri, alterum internum, instinctus, motus, & conversionis, qui Spiritus S. absq; medio operantis, qua ratione Verbum prædicatum negatur medium conversionis & organum divinæ operationis, ac opponuntur subordinata: Et enim Spiritus S. primaria conversionis causa non operatur fidem & conversionem instinctu immediato, sed per verbum forinsecus prædicatum, instar fermenti, ad interiora penetrantis, unde ex verbo prædicato fidem esse, Apostolus docet Rom. 10. vers. 17. & qui exterius prædicant, dicuntur σὺνεργοὶ Ἰησοῦ 1. Corinth. 3. v. 9.*

25. Posteriore modo, quòd causam inefficiæ verbi negant esse repugnantiam, atque malitiam hominum, sed *unicum beneplacitum Dei, subtrahentis verbo virtutem, quò minus valeat penetrare efficaciter ad cor movendum & convertendum, quod suum dogma cum aliàs satis perspicuè proponunt, ut postea patebit, tum etiam in verbis allegatis produnt, definiendo vocationem, internam pariter & externam, à causâ efficiente, non à subjecto recipiente, discriminis causam non obscurè ad Deum referentes.*

26. Neq; id dissimulat *Kimedont. Deum, non hominum malitiosam repugnantiam, constituens causam, quòd verbum non in omnibus fidem operatur: hæc verba illius sunt, lib. de prædest. cap. 14. Quando queri solet, cur multis idem verbum audientibus, non omnes ita vocentur, ut vocatorum obedientiam consequantur: parum appositè respondetur à nonnullis, quia ipsi nolunt. Nam si fideles ideo credunt, quia volunt, non eis fidem Deus donavit, sed eam sibi ipsi volendo præstiterunt &c.*

27. Elicimus ex his duplicem doctrinam. I. *Quòd Deus externo verbo electos vocans eidem addat internum motum, quem verbum sibi habeat conjunctum, ut tamen per externum verbum eundem non opere-*

operetur Spiritus S. sed absq̄ illo. 2. Quod Deus electos vocans virtutem convertendi animos audientium, verbo addat, ideo per verbum, tanquam organum suum, fidem & conversionem operetur, quam virtutem verbo subtrahat, eoq̄ sonum inanem faciat, dum ad aures reproborum defertur. Errorem posteriorem sub themate sequente considerabimus.

28. Priori, quòd duplex sit vocatio ratione modi proponendi, hunc syllogismum opponimus. *Quaecunq̄ doctrina* 1. non probatur ex scripturâ, 2. verbum predicatum negat conversionis medium. 3. Causas subordinatas opponit. 4. Deo hypocrisis notam inurit. 5. Culpam infidelitatis & non conversionis multorum hominum in Deum transfert. 6. Enthusiasmum introducit, eoq̄ antiquas hereses, Syvenckfeldismi & c. renovat, ea heretica est, & in Ecclesiâ Christi minime toleranda. Talis autem est doctrina de vocatione internâ & externâ per duplicem proponendi modum. E. ea heretica est, & in Ecclesiâ Christi, minime toleranda. Exponemus syllogismum particulatim, negantes eam Calvinianorum doctrinam, his argumentis.

29. I. *Quia ex scripturâ non probatur:* Quicquid enim in ejus subsidium inde producitur, hoc demonstrat, aut quòd in quavis vocatione efficaci omnis vis agendi, attribuatur non nisi Deo, unde tamen non sequitur, quia ab uno Deo est efficacia verbi, ab eodem etiam esse illius impotentiam, cum nemo nesciat, ut agentia operentur, pendere à solâ virtute efficientis, ut autem eadem effectu suo destituantur, per multiplices causas impediens fieri posse: aut, quòd Deus justo judicio puniat contemtores, & refractarios verbi auditores, eos indurando, & erroris efficaciam mittendo, hic autem non ostenditur, 1. quòd verbum *per se* induret, & erroris efficaciam mittat, (qualiter sol propriè illuminat, ex accidente excoecat) de qua nobis nulla quæstio; 2. quòd Deus interno & occulto motu aliquos vocet, alios non item, quod tamen unicum est in quæstione.

B 2

II. *Quia*

30. *II. Quia verbum prædicatum negat conversionis medium.* Quia motus cordis aut fit per verbum, extrinsecus prædicatum, aut per aliam operationem, quæ prorsus separata sit ab externâ prædicatione; si *prius*, malè distinguitur vocatio internâ ab externâ, ut specie & subjecto diversa; si *posterius*, quis erit effectus verbi, nonne hærebit verbum in auribus externis, impotens ad hoc, ut in cor usque penetret, & conversionem operetur?

31. *Argumentum esto tale?* Quando prædicatur verbum Evangelii electis convertendis, ad quam prædicationem fides sequitur & conversio, operatur Spiritus S. internam mentis illuminationem, aut per extrinsecus prædicatum verbum, aut non per illud, sed absq; eo: si per verbum; vocatio non est gemina, sed unica, ratione mediæ, externa, ratione subjecti operationis, & effectus, interna: si absque verbo; Ergò verbum extrinsecus prædicatum destituitur virtute corda movendi, & animas convertendi.

32. *III. Quia causas subordinatas opponit.* In convertendo homine primaria causa est Deus; siquidem verò is in actu ordinario non operatur sine medio, sed per medium sui verbi extrinsecus prædicati, utique verbum illud subordinatur Deo in actione conversionis hominum, quippe causa organica principali: Econtrâ: si instinctus interior ad conversionem, contradistinguitur verbo prædicato, ut hoc quidem aures corporis circumsonet, ideò exterius maneat, ille autem internus sit, in imo cordis animæq; operans (quò verbum ipsum non penetret) sequitur, ea, quæ in actu conversionis hominum sunt subordinata, per distinctionem vocationis in externam & internâ, sensu Calviniano acceptam ab invicem contradistingui.

33. *IV. Quia Deo hypocriseos notam inurit.* Quæcunq; doctrina Deo tribuit, quòd simulet verbo, & gravioribus attestationibus, se facere fideliter, quantum est in ipso, ut alteri sit benè, interim non faciat, quod ad hoc, ut alteri benè sit

nè sit, magnoperè est necessarium, vel etiam faciat, ut alteri sit malè, is Deo inurit notam hypocriseos. Distinctio Calviniana vocationis externæ & internæ, Deo tribuit, quòd simul et quidem verbo, & gravioribus attestationibus, se facere fideliter, quantum est in ipso, ut omnibus hominibus sit benè, (hæc enim est summa externæ vocationis) interim non faciat, quod ad hoc, ut omnibus hominibus benè sit, magnoperè est necessarium, quando non vocat intrinsecus, vel etiam facit, ut hominibus plerisq; sit malè, dum per externam vocationem, indurationem, & graviolem damnationem in illis operatur (quæ ex Calvinianâ hypothesi est Dei actio circa verbi prædicationem ad reprobos institutam) Ergò distinctio Calviniana vocationis externæ & internæ, Deo inurit notam hypocriseos.

34. Quid hic respondeant reformati, non apparet: quod enim *Beza* resp. 2. ad Coll. Momp. pag. 86. scribit: *Inde verò & istud consequitur, Deum non illudere, cum gratiam suam exterius, non autem interius offert iis, quos sanare nec tenetur, nec vult, ut qui tunc per verbum suum iusta sua iudicia, non minus seriò exerceat, quam cum per idem illud verbum gratiam suam exerit in iis, quos servare dignatur: de nihilo est: præterquam enim, quòd definitionem illusionis ponit, definitum verò, hoc est illusionem ipsam, absurdè negat, sequitur, Deum, iusta licet iudicia exercentem, hoc ipso tamen hominibus illudere; non aliter, atq; iudex civilis latronem mortis reum, cui veniam sanctè & cum juramento pollicetur, occultâ carnificis sicâ capite truncari facit, minus honestè ac piè ludit, quantumvis sub ea illusionem iustum iudicium exerceat.*

35. V. *Quia culpam infidelitatis & non-conversionis multorum hominũ in Deum transfert.* Substratâ hypothesi reformatorum, causam infidelitatis. & quòd multi non convertuntur non hæere in eo, quia aliqui vocationi repugnant, sed quia tantum externè, non autem intrinsecus etiam vocentur; argumentari possumus in hunc modum: quicumq; causa est, ut aliqui homines non vocentur vocatione internâ: idem causa est, quòd aliqui homines manent infi-

deles, nec convertuntur: solus Deus causa est, ut aliqui homines non vocentur vocatione internâ (quam non possunt operari homines ipsi, unicum autem & solum Dei beneplacitum, intrinsecam vocationem quibusdam gratiose largiri, aliis eandem denegare perhibetur) Ergo solus Deus causa est, quod aliqui homines manent infideles, nec convertuntur.

36. *VI. Enthusiasmum introducit, eoque antiquas hereses, Swenckfeldismi, Anabaptismi &c. renovat.* Qualiter Fanatici fundamentum suae hereseos constituent occultos Spiritus S. afflatus, plus satis notum est, iis autem revelationibus ut locum parent, ante omnia removenda est efficacia prædicati verbi, quod solas aures corporis ferire, ideò literam inefficacem atque mortuam esse, omnibus persuadere cupiunt: Nihil aliud faciunt, qui verbum externum negant verè vocare & efficaciter trahere vocatos, quod sit maneatque externum, expectandam interea esse Spiritus S. internam vocationem hoc est efficacem instinctum, motum & tractum, quem externa vocatio non fuerit operata.

37. *Argumentamur itaque:* Quaecumque doctrina per verbum extrinsecus prædicatum negat fidem generari; sed Spiritum S. intus in cordibus occulto instinctu agentem & moventem expectandum affirmat, ea Enthusiasmum introducit, Swenckfeldismum, & Anabaptismum renovans. Distinctio vocationis externae & internae fidem per externum verbum negat generari, & Spiritum S. occulto instinctu agentem expectandum affirmat. Ergo distinctio illa Enthusiasmum introducit, Swenckfeldismum & Anabaptismum renovans. Minor sic confirmatur: Externa verbi divini prædicatio vocat ad fidem, & regnum caelorum vel electos, vel reprobos, convertendos, aut contumaces; ratione reproborum, manet vocatio externa, impotens, quæ animum percellat; ratione electorum, conversionem operatur quidem Spiritus S. non verò per externam vocationem, sed occultum instinctum, atque motum, qui nova & ab externâ distincta vocatio appellatur.

Deus



38. III. Deus quoscunq; homines ad regnum suum vocat, eos vocat cum intentione salvandi.

Conquerimur & hic non immerito, reformatos, ut alias frequenter, confundere Dei voluntatem cum ejusdem decreto; asserimus, Dei voluntatem esse, ut quicumq; verbum ejus audiunt, convertantur & salventur, quamvis ea de re nullum unq; decretum fecerit; quemadmodum vult omnes sancte vivere, neminem peccatis indulgere, interim non facit decretum de omnium sancta vita. &c.

39. Male igitur sententiam nostram his verbis refert quidam Marcus Fridericus Wendelinus tract. de predest. c. 15. assert. 8. *Externa vocatio ad reprobos quoq; pertingens est indicium DECRETI divini de salute ipsis conferenda; nam & ipse postmodum hoc decretum, quod dicit, tantum de voluntate exponit.*

40. Differt enim Dei intentio, quæ per hominum malitiam interdum intercipitur, ut ad actum non perveniat, ab ejus decreto, quod non impeditum iri, vel ideò certum est, siquidem à solius Dei operatione sic pendet, ut per nullam hominum aut Diabolorum malitiam impediri valeat, quemadmodum extremum judicium decretum est; vel quia Deus infallibiliter prænovit, non fore, qui impediant, quamvis impedire possit; qualiter decreta est æterna salus electorum:

41. De intentione Dei, & seriâ ejus voluntate ac voto quæstio nobis erit; ubi quæstionis affirmantem, quòd omnes ac singulos homines ad regnũ suum vocet cum voluntate, ac intentione salvandi: tenemus; cujus certitudinem placet nunc iis argumētis demonstrare, quæ Dn. D. Eckhartus in suo fasciculo controversiarum Calvinianarum adhibuit, Wendelinus verò confutare annis fuit. Ea verò huic generali syllogismo includuntur.

42. Quisquis vocat aliquem. 1. ut ei pœnitentiam, coelestem gratiam ac remissionem peccatorum offerat. 2. ut resipiscat. 3. ut perfectus exhibeatur Deo. 4. cum promissione resurrectionis, 5. ut bonis oblati fruatur. 6. quemadmodum gallina vocat pullos sub alas in defensionem. 7. etiam

7. etiam compellendo, ut compareat, 8. contemtoribus hujus vocationis pœnas infligit vocationem negligentibus; is vocat eum cum intentione salvandi. Deus vocat omnes homines, electos & reprobos, ut eis pœnitentiam &c. offerat &c. Ergo Deus omnes homines electos & reprobos vocat cum intentione salvandi. Quem syllogismum per membra, & syllogismos speciales exponemus; probantes Deum vocare æqualiter, tam reprobos, quam electos, intentione eos salvandi.

43. I. Quia Deus pœnitentiam, cœlestem gratiam, ac remissionem peccatorum omnibus æqualiter offert. Qui pœnitentiam, gratiam cœlestem ac remissionem peccatorum in vocatione cuiuspiam offert, is, quantum est, in ipso, eadem omnia confert; nec quicquam superest, quam ut alter, cui offeruntur, acceptet, neq; malitiosè reluctetur offerenti. Ergo qui pœnitentiam, gratiam cœlestem ac remissionem peccatorum in vocatione offert, is vocat cum intentione eadem conferendi, & consequenter, vocatum salvandi.

44. Atqui Deus vocat omnes homines tam pertinaces & reprobos, quam fideles & electos; ut eis pœnitentiam, cœlestem gratiam ac remissionem peccatorum offerat *Luc. 24. v. 47.* oportebat in Christi nomine prædicari remissionem peccatorum in omnes gentes. *Matth. 28, vers. 19.* Docete omnes gentes. *Marc. 16. v. 15.* prædicate Evangelium omni creaturæ. Evangelium verò est concio de fide & pœnitentia. *Matth. 3. v. 2. c. 4. v. 17.* pœnitentiam agite, & credite Evangelio!

45. Hinc argumentum: Quemcunq; Deus vocat prædicatione Evangelicâ, eum vocat, ut illi pœnitentiam & fidem, consequenter remissionem peccatorum & cœlestem gratiam offerat; siquidem Evangelium nihil est aliud, quam hujusmodi oblatio pœnitentiæ &c. ut ex allegatis concionibus Christi & Johannis constat. Sed Deus vocat prædicatione Evangelicâ omnes gentes, & (ne lusus reformatorum locum inveniat, quasi tantum pauci quidam per omnes gentes dispersi intelligantur) omnem creaturam. Ergo Deus omnes gentes, omnemq; creaturam

curam vocat, ut illi pœnitentiam & fidem, consequenter remissionem peccatorum & cœlestem gratiam offert. Ergo Deus, fidem, &c. omnibus hominibus, fidelibus & infidelibus, electis & reprobis offerendo, quantum in ipso est, confert.

46. Frustrâ igitur, & cum principii petitione, ait Wenedelinus; 1. *non imperare Deum conversionem eo sine, ut faciant, quod non facturos ab æterno præscivit, & faciendi gratiam non largiri ab æterno decrevit*; siquidem. 1. hæc oblatio non est nuda imperatio, sed conjuncta cum gratiâ faciendi imperata, dum offerendo Deus omne ad salutem hominum faciens, præstat, quod est in ipso; ut in judicio possit esse inexcusabilis, & omnis culpa damnationis penes solos homines damnandos, unicè resideat. 2. Et Deus seriò affirmat, se ideò præcipere hominibus conversionem, ut convertantur; neque, contrarietas hic ulla; quia contrarium Deus nunquam intendit, & licet sciverit ab æterno, vocationem fore frustraneam, eo tamen reddit ἀναπολογία, quòd fecerit Deus omnia saluti eorum inservientia, ipsi verò tantam Domini bonitatem temerè excusserint.

47. 2. *Oblationem remissionis peccatorum & vitæ æternæ cum impossibili conditione fidei factam*: Quia conditio fidei & pœnitentiæ, licet impossibilis ratione humanarum virium; possibilis tamen est ratione operationis divinæ, & ordinis à Deo sanciti, cui si homo non refractarius fuerit, Deus fidem, pœnitentiam & conversionem operatur citra ullum concursum actionis humanæ.

48. II. *Quia Deus omnes hoc fine vocat, ut resipiscant*. Resipiscencia cum conversione coincidit, est-que ejusdem amplitudinis cum fide ac pœnitentiâ, quibus ad æternam salutem homines perducuntur: firmâ proinde consequentiâ argumentamur: Quicumq; vocat homines eo fine, ut resipiscant, is vocat illos, ut salvi fiant: Ratio est; quia vocans ad medium vocat ad illum finem, ad quem hoc medium per se directum est; & nemo ad resipiscenciam alia de causâ, quàm propter adipiscendam salutem quemquam vocat. Sed Deus vocat omnes homines, electos & reprobos, ut resipiscant:  
C Namq;

Namq; Johannes Baptista, & Dn. Jesus Evangelicam vocatio-  
nem his verbis concipiunt; *pœnitentiam agite, μετὰνοείτε, respici-*  
*scite. Matth. 3. v. 2. cap. 4. v. 17.* directam, non certè ad solos ele-  
ctos sed ad pessimos etiam Christi contemtores ac persecuto-  
res: *Actor. 17. vers. 30.* de prædicatione Evangelica sic differit  
Apostolus: *nunc annunciat omnibus hominibus, ut omnes ubiq;<sup>3</sup>*  
*pœnitentiam agant.* Ergò Deus vocat omnes homines, ut salvi  
fiant.

49. Negat Wendelinus minorem pag. 86. *Non probatur*  
*(inquiens) ea ex actis. Nec enim habet textus, eum in finem, omnibus*  
*ubiq;<sup>3</sup> annunciari verbum, ut omnes resipiscant; de fine annunciationis*  
*non loquitur textus, sed de objecto duntaxat, hoc sensu, Deus per verbum*  
*omnibus ubiq;<sup>3</sup> resipiscantiam imperat; quod non negamus: eodem verò*  
*sine omnibus imperari, cum scriptura rectè negamus.*

50. Resp. Minor ita probatur: Quicquid Deus im-  
perat, humanæ salutis conducens, hoc seriò vult fieri; ut enim  
quivis ideò imperat, ut fiat id quod imperat, nisi aut alterum  
ludere, sit animus, aut finis alius clarè & perspicuè exponatur;  
sic de Deo quidquam novi non possumus fingere: Sed Deus  
imperat in salutis humanæ negotio, ut omnes, sive reprobi, sive  
electi, resipiscant. Ergò Deus ideò imperat omnibus resipi-  
scentiam, ut omnes resipiscant, nisi aut miseros mortales lude-  
re sit animus, quod impium, aut finem alium clarè & perspicuè  
exposuerit; quod nullibi factum; Et quantumvis scripturam  
alleget adversarius, nullum tamen ex ea locum producit.

51. III. *Quia omnes hoc sine vocantur,*  
*ut reddantur DEO perfecti.* Homo perfectus in  
Christo Jesu est ille, qui verum Christi membrum, in fide, pie-  
tate & patientiâ viam salutis terit, in qua si perseveraverit, cer-  
rò salvus sit futurus. Hinc argumentum: Quicumq; vocatur, ut  
sit in Christo Jesu perfectus, is eo sine vocatur, ut in viâ æternæ  
salutis incedat. Deus vocat omnes homines, ut ipsi omnes  
perfecti exhibeantur. *Coloss. 1. v. 28. annunciamus, corripientes om-*  
*nem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut ex-*  
*hibea-*

*bibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Ergo omnes homines eo fine vocantur, ut in viâ salutis incedant, & consequenter, viâ metam attingant, salutem æternam.

52. Wendelinus inficiatur minorem hoc sensu acceptam, quòd non tantùm admonitionem ad adipiscendam perfectionem, sed insuper finem admonitionis indigitet, siquidem hoc posterius non habeat textus Apostolicus, quod rursus probatur, quia Paulus tantùm de iis loquitur, ad quos epistolam scripsit; scripsit verò solis electis & fidelibus.

53. Resp. 1. Intentionem utiq; intelligit minor, quam è textu Apostolico nemo elicere conabitur, cui modò sanamens est residua; hæc enim sunt clarissima Apostoli verba: *corripimus omnem hominem, ut omnem hominem sistamus perfectum;* nisi autem notarit Apostolus intentionem admonitionis, nihil dixit, siquidem alius verborum sensus ne fingi, nedum dari & probari potest. 2. Falsissima est propositio in argumento adversarii; Apostolus tantùm de iis loquitur, ad quos Epistolam scripsit, solos nempe electos & fideles: Etenim ad solos fideles Colossenses scribit. Ergo tota Epistola nihil ad nos: quando *cap. 1. v. 6.* dicitur: *Evangelium in toto mundo fructificare,* intelligendum hoc erit, de solis Christianis Colossensibus: quando *vers. 16.* per Christum omnia perhibentur condita, quæ in cælis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia &c. Soli hi intelliguntur, ad quos scribit, electi & sancti Colossenses? Vide absurdum, enatum ex confusione ejus *de quo, & ad quem* scribitur, quæ duo plærumq; maximè dissident.

54. IV. *Quia Deus omnes vocat cum promissione refectionis.* Qui à suo spiritali labore peccati per Christum reficitur, is convertitur & nisi temerè ab illo refiliat, tandem salvatur. Ergo quem Deus vocat cum promissione refectionis, eum vocat cum intentione convertendi & salvandi. Subsumimus. Atqui omnes homines Deus vocat, cum promissione refectionis. Ergo omnes homines vocat cum intentione convertendi & salvandi. Minor probatur. *Matth. 11. v. 28.* *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

55. Wendelinus hoc argumentum soluturus pag. 87. responderet, reprobos ad se Christus venire in verbo jubet cum promissione annexa refectio-  
nis si veniant, si credant. Sed scire debuisset, Deum nusquam vocare homines Si veniant, sed UT veniant; promittere verò refectio-  
nem, non præcisè, si veniant & cre-  
dant, sed si trahenti patri, & fidem operanti Spiritui Sancto non fuerint reluctati, tunc enim promittit fore, ut non tam veniant, quàm ad Christum trahantur, non credant ipsi virtute sua, sed recluso corde fides per divinam operationem nascatur.

56. Deinde; reprobis promitti refectio-  
nem, Si veniant, cum tamen venire non possint, & quidem ideò venire non possint, quòd Deus nolit venire, excœcet, induret, adeòq; , ne veniant, vi occultâ prohibeat; id verò summæ impietatis est, quòd Deo & hominibus abominandam hypocrisin veracissimo maximeq; sincero Deo nostro, temerario ausu impingat; quod hoc argumento probatur:

57. Quicumq; miserum, captivum, supplicio destinatum vocat cum promissione liberationis si ad ipsum venerit, interim eundem vi detinet, vel catenis adstringit, ut venire nequeat, is miserum hominem ludificat ea hypocrisi, quam nemo mortalium non potest non detestari, quantumvis ille causam sui lusus aliam prætendat. Deus miseros homines peccato captivos, & propter peccatum maledictione sempiterna afficiendos, vocat cum promisso liberationis, si ad ipsum veniant. Ergò, si Deus eosdem vi occultâ detinet, vel cordis duritie adstringit, ut venire nequeant (quod fieri Wendelinus p. 84. affirmat, etiam simili adhibito declarat) miseros homines ludificat ea hypocrisi, quam nemo mortalium non potest non detestari, quamvis ipse causam sui lusus aliam prætendat, quæ magis exasperet, quàm relevet infortunium miseri, ut quidem promissio verbo facta spondebat: quod maximè impium.

58. V. Quia omnes vocantur hoc fine ut bonis oblatis actu fruantur. Quem Deus hoc fine vocat, ut cœlestibus epulis fruatur, eum vocat eo fine, ut salvus fiat. Deus omnes homines vocat hoc fine, ut epulis cœlestibus

lestibus fruantur. Ergo Deus omnes homines vocat hoc fine,  
ut salvi fiant. Vis majoris consistit in æquipollentiâ horum  
terminorum, esse participem epularum cœlestium, & salvari eter-  
nûm: qua stante; vis argumenti firma est. Minor probatur.  
*Matth. 22. v. 4.* Misit rex servos, dicens: dicite invitatis, Ecce  
prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & om-  
nia parata, venite ad nuptias. *Esa. 55. v. 1.* Omnes sitientes venite  
ad aquas, & qui nō habetis argentum, properate, emite & com-  
edite; venite, emite absque commutatione vinum & lac.  
*Luc. 14. v. 17.* Et misit servum suum horâ cœnæ, dicere invitatis,  
ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

59. Ad locum *Esa. 55. v. 1.* duo excipit adversarius. p. 88.  
1. non vocantur promiscue omnes, sed qui sitiunt, hoc est, ariditatis suæ  
conscientiâ pressi beneficia ad vitam spiritualem pertinentia seriò expe-  
runt, quales certò reprobi non sunt. 2. si maxime & reprobos vocari  
concederemus, finem tamen vocationis heic exprimi non concederemus,  
sed objectum duntaxat; debere nimirum eos venire ad epulas cœlestes.

60. Resp. ad prius 1. omnes sitientes vocantur, quales  
non sunt, qui beneficia ad spiritualem vitam pertinentia seriò  
expetunt (hi enim ad vocationem jam comparuerunt, & in his  
Spiritus S. operatus est *to* velle, quod ab humanis viribus mini-  
mè pender) sed qui iram Dei super peccata sentiunt, quamvis  
spiritualia beneficia prorsus ignorent, in quo numero non pau-  
ci etiam reprobi inveniuntur; Cain peccatum suum irremissi-  
bile judicans *Gen. 4. v. 13.* Judas ex desperatione vitam sibi abrum-  
pens *Matth. 27. v. 4.* gentiles cogitationum conflictu in iudicio  
Domini contendentes. *Rom. 2. v. 16.* omnes deniq; desperabundi;  
unde certò sequitur, aliquos reprobos vocari, hinc enim infer-  
tur, non ideò reprobos expressè non vocari, quia non sint in  
electorum numero, & consequenter, quantum ad vocationem,  
esse parem rationem & conditionem electorum, & reprobo-  
rum 2. Non tantùm vocantur sitientes, sed quivis laborantes  
& onerati, cujusmodi sunt omnes homines, quamvis aliqui non  
omni tempore onus sentiant; Ergo omnes homines hic vocan-  
tur cum promissione refectionis.

61. VI. *Quia Deus vocando ita vult homines colligere, quemadmodum gallina colligit pullos sub alas suas.* Qui homines hoc fine vocat, quo gallina pullos suos sub alas, is vocat homines fine defendendi ab omni malo, fovendi & salvandi, hæc quippe intentio gallinæ est, vocans pullos, ut sint sub alis tuti, foveantur, educantur, adeoq; sint salvi. Atqui Deus hoc fine vocat homines, quo gallina pullos suos sub alas colligit. Ergo Deus vocat homines fine defendendi ab omni malo, fovendi & salvandi.

62. Quam argumentationem non infringit, quod Wendelinus excipit pag. 88. *Christum id tantum subindicare: se vocando monstrasse Judæis viam, qua adversus imminentes injurias potuissent esse tuti, si vocantem audiissent.* Etenim, si Deus vocando tantum voluit Judæis viam monstrare, per quam potuissent esse tuti, sub ea conditione, si vocantem audiissent, & verò conditio hæc fuit impossibilis, utique vocatione ista negavit re & facto, quod verbis affirmavit, quia *quod Deus promittit sub conditione impossibili, idem est ac si neget*: scribit Wendel. pag. 87. Deinde, vocando non tantum monstravit viam, per quam possint esse tuti, si viribus propriis ad Christum confugiant, hoc est, impossibilia faciant, foret enim lusus detestabilis, ut suo loco ostenditur; sed ipse vocando congregare voluit, hoc est, per verbum suum ad se pertrahere, ita quidem, ut congregatio re ipsa fuisset facta, nisi nolendo repugnassent Judæi. Præterea qui homines vocat, intentione ac voluntate congregandi, vocat eosdem intentione salvandi: sed qui homines vocat, ut gallina pullos, is vocat intentione congregandi. Ergo idem vocat homines intentione salvandi.

63. VII. *Quia Deus compellit vocatos hospites, ut ad epulas regias, & cœnam magnam compareant.* Quicumq; herus compellit hospitem, ut ad suam cœnam veniat, is vocat intentione hospitem benignè excipiendi, suarumq; epularum participem faciendi: ratio, quia  
com-



compulsus iste est manifestatio intentionis non leviter conceptæ, sed conjunctæ cum magno desiderio, pertrahendi hospitem ad perfruitionem ejus, ad quod illum vocarat. Ergò qui compellit hospitem, ut compareat, is vocat ea intentione, ut compareat. Deus compellit hospites, ut compareant *LUC. 14. vers. 23.* Exi in vias & sepes & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Ergò Deus vocat ea intentione, ut compareant.

64. Responder Wendelinus pag. 89. 1. *ad majorem* inficiando; quia tantùm inferatur, vocationem esse seriam, non autem eo fine institutam, ut invitati regnum cœlorum ingrediantur. Resp. Verùm: si est seria, seriò expetit vocatione, ut fruantur epulis, ad quarum perfruitionem fuerant invitati.

65. 2. *ad minorem*, negando, & ad probationem ejus ex Christi parabolâ; domum, ad quam vocantur, esse Ecclesiam, non regnum cœlorum; quod extra dubium: Resp. Colligitur tamen firmiter, quia ingressus in Ecclesiam fit per fidem. *Hebr. 11. v. 6.* compelli quosvis ad fidem, & spiritualem cum Christo conjunctionem; quia Deus neminem ad Ecclesiam vocat, quin simul vocet ad regnum cœlorum, ut ex omnibus vocationum formulis & exemplis patet, utiq; omnes hospites ad Ecclesiam vocando, consequenter ad vitam æternam vocat.

66. *VIII. Quia Deus contemptoribus hujus vocationis pœnas irrogat.* Quicumq; irascitur, imò pœnas infligit alteri, quòd is vocationem ejus non acceptavit, ille vocat cum intentione seriâ faciendi id, ad quod vocat. Sed Deus vocans ad æternam salutem, irascitur, imò pœnas infligit, alteri, quòd is vocationem ejus non acceptavit. Ergò Deus vocans ad æternam salutem, vocat cum intentione seriâ faciendi id, ad quod vocat, hoc est salvandi.

67. Minor probatur: *Matt. 22. v. 7.* Rex autē cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatē illorū succendit. *v. 8.* Tunc ait servis: nuptiæ quidem paratę sunt, sed qui invitati erāt, nō fuerunt digni. *LUC. 14, v. 24.* Dico vobis, nemo virorū illorū, qui vocati sunt, gustabit cœnā meam.

*Hebr. 10.*

*Hebr. 10. v. 29. quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est.*

68. Excipit Wendelinus pag. 90. I. *concedi, vocationem esse seriam, non tamen ideò vocari reprobos, ut credant, & vocantem sequantur, quod Evangelico testimonio & Prophetico id contrarietur.* Resp. 1. allegatione testimonii Prophetici petitur principium, ob malum ejus intellectum, de quo alibi. 2. Quicumq; vocat seriò ad æternam salutem, is vocat cum intentione, vocatos æternùm salvandi. Inanis itaq; exceptio.

69. II. *Iuste puniri reprobos ob contemptum promissionum fidelibus factarum, etsi ad ipsos, tanquam infideles pertinaces, non pertineant; ut iuste Deus punit Satanam, ob contemptum meriti Christi, etsi ad Satanam minime pertineant.* Resp. Ambiguitas in voce *contemptus*: Contemnere aut est rem divinam judicare vanam, inefficacem, nihili; & sic contemnit Dei beneficia etiam is, ad quem ea non pertinent, qualiter mactationem victimarum hodie quis profanus ridere potest, ut stolidam, & ad peccatorum expiationem nihil conferentem, quamvis ad ipsum nil quicumque pertineant:

70. *Aut contemnere, est beneficium oblatum recusare, & nolle acceptare; quo modo mendicus; cui eleemosyna offertur, eandem, si expectationi ejus non videatur satisfacere, spernit, acceptare recusat, abjicit; & taliter nemo quid spernit, quod ad ipsum non pertineat: quia verò contemtoribus Deus irascitur, & pœnas infligit propterea, quòd contemptui haberint, quæ in ipsorum salutem à Deo erant proposita, sequitur infallibiliter, ejusmodi contemtoribus paratas esse nuptiales epulas, Domini gratiam, & æternam salutem, quas recusando, &, tanquam ad se nihil facientia, spernendo, contemserant,*

71. IV. *Quicumq; Deus ad regnum cœlorum vocat, sive electum, sive reprobum, eum vocat, quantum est in ipso efficaciter, quamvis propter hominum repugnantiam aliquando effectum optatum vocatio non assequatur.*

72. Initio,

72. Initio, *distinctionem ipsam inficiari nemo potest*, quatenus omnibus notum, verbum vocationis non eundem effectum apud omnes consequi, aliquando ferre fructum, aliquando sine effectu prædicari, attestante quoque parabolâ Christi *Matth. 13. v. 4. seq.* Atque hoc unum est, quod extra controversiam positum.

73. Deindè, convenit nobis cum reformatis, quòd *verbum vocationis non habeat virtutem aliunde, quam à Deo*, ut, quando & ubicunq; verbum Dei est efficax, id non sit nisi à Deo, qui ad movendum & convertendum hominum corda verbo utitur, tanquam organo, homo autem ad ejus efficaciam nihil quicquam conferat.

74. Hoc autem in quæstionem venit: *an sit à Deo, verbo virtutem non addente, ut illud in plerorumq; auribus & cordibus suo effectu careat?* Nos ita sentimus:

75. Vocatio dicitur *efficax*, dupliciter. 1. Ex causa. 2. ex effectu. Ex *causa*, quando verbum à vocante habet vim producendi effectum fidei, & conversionis: ex *effectu*, quando causa virtute fidem & conversionem operandi instructa, hunc effectum, obstaculis aliarum causarum non impredientibus, feliciter assequitur.

76. Similiter vocatio est *inefficax*, 1. ex *causâ*, quando verbum à vocante vim conversionis ac fidei generandæ non habet, ut ob defectum in agente, non sequatur effectus. 2. ex *effectu*, quando causa sufficiente virtute ad effectum producendum instructa, aliarum causarum obstaculis impeditur, quò minus effectum intentum consequatur.

77. Agnoscimus, vocationem dici posse *inefficacem ex effectu*, quatenus multi repugnando efficiunt, ut quando Deus, quod est in ipso, fecit, ac verbum virtute ciendi fidem instruxit, nihilominus non sequatur effectus, quem Deus operari intenderat; asserimus autem, omnem vocationem esse efficacem, ratione causæ (scil. efficientis,) etiam illam quæ in effectu est frustranea.

78. Ita Deus quidem unica causa est, quòd verbum vocationis est efficax: quòd autem idem verbum effectum inten-

D

tum

tum aliquando non consequitur, nequaquam est à Deo; Et enim opposita non habent semper eandem causam; quòd *pedagogus* docet, atque hinc eruditi evadunt discipuli, est ab actione præceptoris, quòd verò illorum aliqui rudes permanent, non est à præceptore, efficaciam propriæ doctrinæ subtrahente; *sol* omnia illuminat, ut oculis animantium quævis pateant, quòd verò non illuminantur cæci, aut oculos studio comprimentes, vel etiam in specubus terræ abditi non gaudent solari lumine, culpa solis non est; similiter nec Deo tribui potest, quòd efficacia verbi sese non in omnibus exferere potest, ut convertantur & salventur, quamvis efficacia ab ipso uno pendeat.

79. Nam certè operationem agentis, & quidem *efficaciter*, agentis, *impedire* possunt varia externa, præcipuè autem prava dispositio subjecti, non admittentis efficacem operationem agentis; Ita sol & pluvia fœcundant terram, agrum verò non cultum minimè fœcundum reddunt, multò minus lapides, arenam &c. Siquidem hæc solis & pluvix operationem fœcundantem non recipiunt; haut aliter, si Spiritui Sancto resistant auditores, si verbum repellant, persequantur, blasphemant, aut pedibus conculcent, nunquam consequetur vocatio suum effectum, quantumvis ipsum verbum efficaciam suam non destituitur, nec Deus virtutem addere cesset, saltem, quia non admittitur, ut suam efficaciam in subjectum convertendum exferat.

80. *Calviniani* utrumq; à Deo esse statuunt, quòd verbum est efficax in iis, qui convertuntur, & quòd inefficax in incredulis ac pereuntibus, siquidem electos velit convertere, propterea verbum virtute corda movendi repleat, reprobos nolit converti, sed indurari, propterea verbum à reprobis auditum, virtute salvificâ privare, vel etiam eodem verbo illos indurare.

81. Quam opinionem hæc ipsorum emblemata loquuntur: *Calvinus* Instit. lib. 3. cap. 24. §. 2. *Verbi sui luce dum immerentibus primum affulget, eo gratuita sue bonitatis specimen satis*  
lucet.

luculentum exhibet. Hic ergò se jam exerit immensa Dei bonitas, sed non omnibus in salutem: quia reprobis manet gravius iudicium, quòd testimonium amoris Dei repudient. Atque etiam Deus illustrandæ gloriæ suæ causa spiritus sui efficaciam ab illis subducit. §. 8. Est universalis vocatio, qua per externam verbi prædicationem omnes pariter ad se invitatur Deus: etiam quibus eam in mortis odorem, & gravioris condemnationis materiam proponit. Est altera specialis, qua ut plurimum solos fideles dignatur: dum interiori sui spiritus illuminatione efficit, ut verbum prædicatum eorum cordibus insideat. Kimed. de prædest. cap. 14. pag. 597. Quando queri solet, cur multis idem verbum audientibus, non omnes ita vocemur, ut vocatorum obedientia consequatur & parum appositè respondetur à nonnullis, quia ipsi nolunt. Nam si fideles ideò credunt, quia volunt, non eis fidem Deus donavit, sed eam sibi ipsi volendo præstiterunt. Nemo quidem potest credere, nisi volens: quis enim crederet invitatus? sed ex nolente volentem facit is, quo trahente ad Christum venimus. Et post pauca: sed cur non omnes ita trahit? Quia miseretur, quorum vult, & indurat, quos vult. Idem lib. 2. de redempt. human. gen. cap. 6. pag. 169. Tertium, quod hic monendum videtur, illud est, quòd quamvis per ministros verbi & gratiæ Dei, eadem cunctis veritas, eadem gratia prædicetur, eadem cohortatio adhibeatur, non idem tamen profectus apud omnes sequatur. Siquidem alii ex Evangelii auditione proficiunt, alii non proficiunt, imò indurantur; & qui proficiunt, non ad eundem modum incrementi omnes proficiunt. Unde tanta disparitas, nisi ex disparitate gratiæ vocantis? Beza Resp. 2. ad Act. Collq. Mompelg. pag. 95. Sic duplex Dei fuit consilium in ceremoniali tradenda lege; unum electorum respectu, qui in illa, tanquam in speculo, tum quid ipsi mererentur, quatenus illa fuit chirographus mortis, ut loquitur. Col. 2, v. 14. tum gratiam per eam ipsis afferendam contemplarentur, qui ipsorum peccata super aram crucis erat luiturus: alterum, ut cæteris iusto iudicio divino ab eo relictis, qui nulli debitor est esset, velut ALTER SCOPULUS ad quem impingerent. pag. 173. Credant saltem ipsi Christo, qui Matth. 11. vers. 25. decretum istud respiciens, non tantum illud agnoscit, sed de eo quoque gratias agit Deo patri, quòd ista absconderis, inquit, à sapientibus & intelligentibus, quæ detexisti infantibus, quoniam hæc tua fuit eudoniæ:

ea videlicet, quibus hos ipsos aggregare frustra studuerat, de quibus postea, hoc, quem nunc tractamus, loco lamentatus est, & quidem ejus decreti causam non in ipsorum contumaciam rejiciens, ut ii faciendum docent, qui decreti de reprobandis, & reprobatorum damnationis causas confundunt, sed altius assurgens, nempe ad evdonicam illam, ad utrumq; membrum, id est, tum ad illos per misericordiam salvandos, tum ad illos justè perdendos ex æquo & pari serie spectantem.

82. Sic ergò statuunt illi; Dei bonitatem se exerere in vocatione hominum, non tamen in omnibus ad salutem; siquidem Deus (quando reprobi vocantur,) gloriæ suæ illustrandæ causâ efficaciam verbo subducatur, idq; proponat in odorem mortis, & materiam gravioris condemnationis; ut sit scopulus in quem impingant.

83. Improbamus errorem, à Christiana pietate, & sincerâ veritate maximè alienum, hoc argumento: *Quodcunq; dogma 1. Ex scripturis non probatur. 2. Culpam incredulitatis & perditionis hominum ab hominibus removet, eandem verò in Deum transfert. 3. Incredulos in divino judicio reddit excusabiles. 4. tribuit Deo, quòd in negotio sempiternæ salutis miseros mortales ludificet, illud erroneum est, & à pietate Christiana maximè alienum; sed dogma de vocatione ex parte Dei, & per ejus operationem inefficace, est tale. Ergò dogma de vocatione ex parte Dei, & per ejus operationem inefficace, est erroneum, & à pietate Christianâ maximè alienum.* Exponimus hunc syllogismum per sua membra, rejicientes dogma reformatorum.

84. *I. Quia verbo DEI non probatur.* Etenim omnis veritas religionis nititur divino verbo, cui superstructa est Ecclesia, & extra quod nihil locuti sunt Apostoli, cui nihil addendum, nihil detrahendum; ut quicquid ex eo non probatur, eodem jure repudietur, quo fuit assertum ac introductum: quod si de dogmate reformatorum, nunc sub manibus versante constiterit, jam erit evictum, illud ex agro Ecclesiæ eliminandum esse.

85. Antecedens obtinemus remotione triplicis fundamenti, quo nituntur Adversarij. 1. *Ab ejusmodi pronunciatis, quæ videntur vocationem dicere efficacem & inefficacem, ob Dei voluntatem*  
ac pro-

*ac propositum. Matth. 11. v. 25. Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis; ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Rom. 8. v. 28. omnia cooperantur in bonum, qui secundum propositum vocati sunt sancti. 2. Thess. 2. v. 10. 11. eò quod claritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideò mittet illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio &c.*

86. Resp. 1. *Sapientes & prudentes non sunt, qui his donis mundanis pollent (talibus enim revelatum est verbum Evangelij, Nicodemo, Josepho Arimathæensi, & aliis) parvuli, non qui ætate, staturâ, sorte & fortunâ tales (siquidem horum multi verbum non agnoscunt) sed prudentes & sapientes definiuntur, qui diabolico fastu inflati, Christum è sublimi loquentem audire non sustinent, ut ex Calvino commentatur Marloratus in hunc locum. Quòd his sapientibus absconditur verbum, & mittitur erroris efficacia, fit Dei beneplacito, ac voluntate; Verùm; non antecedente illa benignâ (quam nostra quæstio respicit) sed consequente, judiciariâ, ut sic in Deum nulla, in contemtores superbos omnis culpa ejus non-revelationis transferatur.*

87. *Quemadmodum præceptor in suam institutionem pueros recipit, doctrinam utilem debito studio ac perspicuitate proponit, inculcat, nec facit quid reliqui, quò minus doctrinâ utili discipulorum ingenia imbuantur: quando autem videt studium suum contemni, rideri, propterea operam se perdere, & oleum; ejicit è scholâ discipulos immorigeros & informationi ineptos, cum asseveratione, quòd illos fidei institutione dignos minimè sit in posterum habiturus, dignos verò, à quibus omnis literatura maneat abscondita: simili modo, opifices, aliquando ex officinis pueros intractabiles exturbant, suamq; artem ab illis abscondunt; Nec aliter Deum ingratitude & contemptu offensum, cum hominibus agere, quis dubitat? quis negat?*

88. 2. *Vocari quosdam secundum propositum alios præter & contra propositum Dei, non potest esse dubium; Est enim Dei propositum, homines vocare, ut salventur, volens omnes homines salvos fieri. 1. Tim. 2. v. 4. annuncians hominibus ut omnes*

ubiq; pœnitentiam agant *Actor. 17. v. 30.* Vocatio κ<sup>τ</sup> π<sup>ρ</sup>ο<sup>ς</sup>θε<sup>ο</sup>ν, juxta hoc *propositum*, est quando verbum operatur fidem & cō-  
versionem, atque taliter vocati dicuntur in scripturâ κλη<sup>ρ</sup>ι.  
Vocatio π<sup>ρ</sup>ο<sup>ς</sup>θε<sup>ο</sup>ν, præter & contra Dei *propositum* est,  
quando conversio, & salus hominum vocationem non sequi-  
tur, & qui hoc modo vocantur, κ<sup>ε</sup>κ<sup>λ</sup>η<sup>μ</sup>έν<sup>ε</sup>ς scriptura ap-  
pellat:

89. Quemadmodum *præceptor* ingenuum discipulum,  
ait se informasse ex voto, & juxta suum *propositum* (qualiter  
non potuit informare degeneres) & fidelis *pastor Ecclesie* gloria-  
tur, secundum *propositum* suum se docere, quando obsequen-  
tes & pios habet auditores, sic Deus secundum *propositum* vo-  
cat electos, qui locum dant vocationi, cùm cæteri contumaces  
vocentur, sed vocationem non admittant contra vocantis *pro-*  
*positum*. Nunc ergò quæstio, cur aliquorum vocatio sit *se-*  
*cundum*, aliorum *præter*, vel etiam *contra* Dei *propositum*? Nos  
ex adductis fundamentis probamus, causam non in *proposito*  
hærerere, sed hominibus ab illo deviantibus, aut dum eò ducun-  
tur, non repugnantibus: Adversarii ad ipsum *propositum* refe-  
rentes, principium petunt.

90. II. *Ab ejusmodi sententiis, quibus vocatio perhibetur esse*  
*efficax per operationem Dei; Iohan. 6. v. 44.* Nemo potest venire ad  
me, nisi pater qui misit me, traxerit eum *Matth. 11. v. 27.* Nemo  
novit filium nisi pater, & nemo novit patrem, nisi filius & cui  
voluerit filius revelare. *Ioh. 6. v. 65. Phil. 1. v. 29. &c.* fides expressè  
donum Dei vocatur.

91. Resp. I. Commiscentur quæstiones distinctissimæ;  
una: *an vocatio sit efficax per solam Dei operationem?* deciditur illa  
affirmatè, nec quemquam diversum sentientē novimus, & hanc  
affirmativam tuentur allegata loca, nihil contra nos facientia;  
altera: *an vocatio sit inefficax per solam Dei operationem?* quæ uni-  
ca in controversiâ versatur, & negativè deciditur; siquidem  
diabolus, & homo ipse, nec non mundus tentationibus & scan-  
dalis multipliciter obstat divinæ intentioni ac *proposito*; quod  
nemini mirum videri debet, cùm Deus non operetur fidem  
absq;



absque mediis, neque per actionem absolutam, sed ordinatam in quo ordine homo nihil valet operari, multum verò impedire, cuiusmodi actionum & impedimentorum exempla minimè sunt rara *Act. 7. v. 51. c. 13. v. 45. 46.*

92. 2. In eo quoque discessus fit à scopo, & vero statu, cum probatur, neminem venire ad Christum nisi à patre trahatur; siquidem de hoc nemo litigat: quæritur autem *quomodo Deus trahat?* num sine medio, per occultum Spiritus Sancti afflatum, an verò per verbum? cuius virtus quantum in ipso, uniformis & ratione electorum ac reprobatorum, eadem profusus est: item; *an hæc ad Christum pertractio per repugnantiam valeat impediri?* negantem hic textus minimè probat: Deus enim vult omnes homines trahere, sicut omnibus mandat, ut pœnitentiam agant, trahere autem per verbum, ut organum, quod non omnes patiuntur sibi applicari, repugnantes nimirum & repellentes.

93. 3. Similiter nemo patrem novit, nisi cui filius voluerit revelare; sed omnibus vult revelare, & quantum in ipso, revelat, non obstante, quòd multi aures obrurant, recusantes audire verbum salutis.

94. 4. Nec aliter *fides Dei donum* est, ad hoc enim homo nihil confert, ut credat, multum verò præstare potest, ut non credat; donum fidei divinitus offertur omnibus, conferretur etiam, nisi organum conferendæ fidei excuterent plerique: sicut *vulneratus* non facit quicquam, ut sanetur, chirurgus autem vel Medicus sanitatem, quæ est artis illius donum, reddere pollicetur, nil magis optans, quàm ut manum medicam possit admovere: Interim vulneratus operam Chirurgi & Medici oblatam non admittens, efficit, ut non sanetur: Ita Deus per fidem omnes cupit sanare, fidei donum omnibus collaturus, à plurimis verò benefica Dei opera excutitur, qui eo bono propriam culpam semetipsos privant.

95. III. *Ab exemplis; Pharaonis*, qui per verbum Mosis, signa & miracula non fuit conversus, sed magis induratus, quod historia aliquoties testatur. *Exod. 7. v. 4. cap. 9. v. 12. Iudeorum*  
per

per conciones Esaiæ & Christi, induratorum, non conver-  
rum. *Esa. 6. v. 9. 10.* Audite audientes & nolite intelligere, videte  
visionem, & nolite cognoscere: Excœca cor populi hujus, au-  
res ejus aggravata, & oculos eorum claude &c. Infertur hinc, ali-  
quos per verbum excœcari, & indurari, non autem illuminari,  
quod fieret, si in verbo esset efficacia & virtus conferendi fi-  
dem.

96. Resp. Negatur consequentia, procedens ab eo,  
quod est per accidens, ad illud, quod est per se; cum fallaciâ  
causæ: Etenim, quod verbum illuminat, est illi per se, quod  
excœcat, per accidens, proveniens, non à naturâ causæ agentis,  
sed à conditione & pravâ dispositione subjecti, obstante, quo-  
minus causâ operetur effectum intentum, sed contrarium po-  
tius: sol per se omnem oculum illuminat, vesperilionum &  
noctuarum excœcat, nec non eorum, qui jubar solare oculis lip-  
pientibus excipiunt; certè non culpâ solis, qui illuminando  
excœcat, sed propter indispositionem subjecti, inepti ad reci-  
piendum splendorem solis illuminantem.

97. Ejusmodi nocturæ aliquando conspiciuntur in Re-  
publ. quando magistratus leges salutares subditis præfigit, ut à  
vitiis illi abstrahantur, pertinaces & præfracti vitia prohibita  
majore etiam studio persequuntur, quàm fecerant antè, tantum,  
ut agrè faciant magistratui, & ostendant, se magistratus inter-  
dicto ac minis nihil moveri: sic magistratus prohibitionibus  
suis peccatum causatur, & subditorum quosdam indurat.

98. Deo verbum suum revelanti idem contingere, non  
modò experientia testatur, sed Deus ipse de hoc non semel con-  
queritur; *Syr. 32. v. 19.* Qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui  
insidiosè agit scandalizabitur (deterior reddetur) ab ea. *Psal. 50.*  
*v. 16.* tu odisti disciplinam & projecisti sermones meos retror-  
sum. Similia vide, *Esa. 28. v. 13. C. 42. v. 20. C. 53. v. 1. Jerem. 44. v. 17.*  
*Ezech. 33. v. 31. 32. &c.*

99. Itaq; indurationem, & excœcationem non tribue-  
mus Deo, ob illius intentionem & propositum, aut verbo illi,  
ob ejus inefficaciam ad generandam fidem: sed hominum au-  
dientium

dientium pravitati, quæ facit, ut virtus verbi Dei illuminatrix per accidens excæcet, corda emolliens, eadem induret.

100. In specie ad exempla producta hæc accommodantur; Pharaonem Deus induravit verbo, signis, & miraculis, quæ per se animum movent ad obsequium Domino præstandum; quòd ergò indurant, per ipsum Pharaonem ejusq; culpam factum fuit; ideò enim aliquando impersonaliter dicitur, *cor Pharaonis factum fuisse durum*. Exod. 18. v. 15. 19. c. 9. v. 7. aliquando ipse Pharaonem *cor suum indurasse* perhibetur, et quidem non ad unam, sed plures plagas Exod. 8. v. 32. c. 9. v. 34. quod neutiquam verum esse posset, si Deus actione occulta Pharaonem indurasset.

101. Excæcationis eadem est ratio: quòd enim Esaias & Christus dicuntur excæcare verbo, id *caput. 28. Act. v. 27.* exponens, totum in Judæorum malitiam rejicit, *incrassatum est cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt: Quomodo verò ipsi causa excæcationis essent? Si Deus modo singulari atq; occulto eam operaretur.* Accedit paulina interpretatio, *2. Cor. 2. v. 3 4. Si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelij gloriæ Christi.* Plura nunc non addimus, siquidem de induratione nunc multis agere, animus non est. Sufficiant hæc ergò ad demonstrandum, quòd doctrina de verbi inefficiã, quantum ad reprobos attinet, in scripturâ nullum prorsus fundamentum habeat; quo nomine ipsa meretur è scholis & cordibus Christianorum exterminari.

102. II. *Quia culpam & causam incredulitatis ac perditionis hominum ab hominibus removet, eandem verò in Deum transfert.* Quod dogma affirmat, quæ Deus negat: Et Deo tribuit ea, quæ sibi attribuere prohibet; id falsum est & erroneum; Ergò, quod dogma culpam mali in Deum transfert, quam tamen ipse à se operosè removet, id falsum est & erroneum. Removet autem à se operosè incredulitatis ac perditionis humanæ culpam *Esa. 65. v. 2. Expandi manus meas, tota die ad populum incredulum &c.*

E

Prov.

*Prov. 1. v. 24.* Quia vocavi, & renuisti, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret &c. *Matth. 22. v. 37.* Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti: Ex his enim clarum, Dei vocationem fuisse seriam, nec per ipsum steterisse, quò minus ad eum acta pœnitentiâ reverterentur.

103. Sed dogma de vocatione inefficace (quoad reprobos) culpam incredulitatis & perditionis hominum transfert in Deum. Nam, quòd plurimi hominum non credunt vocationi ad regnum Dei, causa est aut vocationis inanitas, aut vocatorum malitia & inobedientia: sin hoc, culpa est in vocato, sin illud, hæret ea in vocante: ratio, vocationi virtutem addere aut detrahere, non est vocati, sed vocantis: si ergò Deus ad regnum suum homines vocat non verbo efficaci, sed inani, magis indurante, quàm emolliente, ab ipso avertente, non ad illum convertente, & huic divinæ operationi nemo valet resistere, aut ultra illam quicquam agere, certè, quòd homo non convertitur, quòd econtrà induratur, unicè à Deo est, in quo ut salutis hominum, sic eorundem non conversionis ac inobedienciæ, consequenter, perpetui interitus culpa & causa unicè residet.

104. Atqui; juxta hypothesin reformatorum, Deus ad regnum suum aliquos homines, nempe in incredulitate perseverantes, vocat non verbo efficaci, sed inani, magis indurante, quàm emolliente, cui operationi non valent ipsi resistere, aut suam conversionem, deficiente vi verbi, operari. Ergò, quòd increduli non convertuntur, econtrà verò indurantur, unicè est à Deo, in quo istius mali culpa & causa, unicè residet; Nec diffitetur supra citatis verbis *Kimedontius* lib. de prædest. c. 14. pag. 597. *Quando quæri solet; cur multis idem verbum audientibus, non omnes ita vocemur, ut vocatorum obedientia consequatur? parum appositè respondetur à nonnullis, quia ipsi nolunt.*

105. Vicissim, erroneum est, quicquid absolvit hominem ab eâ culpâ, quam Deus in ipsum transfert. Ergò quicquid hominem absolvit à culpâ non-conversionis suæ; & consequenter perditionis, erroneum est: ob rationem manifestam, quia Deus culpam, quòd homines non convertuntur, & pereunt, in ipsosmet homines

mines transfert, restantibus locis modò allegata : Ego vocavi, vos  
venuistis; ego volui congregare, tu noluisti, & c.

106. Sed dogma de vocatione, quoad reprobos inefficace, culpam  
incredulitatis & perditionis hominum ab hominibus ipsis removet. In  
conversione hominis duo concurrunt, agens & patiens, Deus  
& homo : In horum vel alterutro, vel utroq; culpa hæret : non in  
utroq;, quia causa statuitur, verbi vocantis inanitas & inefficacia :  
Eam verò nullus mortalium causari potest, cùm solus & unicus  
Deus valeat efficere, ut verbum virtute polleat, eademq; care-  
at; Quare sequitur: Quicquid culpam incredulitatis & perditio-  
nis hominum in solum & unicum Deum conijcit, id eandem ab  
incredulis ac perditis hominibus plenè & planè removet : Do-  
ctrina de vocatione ex parte Dei inefficaci culpam incredulita-  
tis & perditionis hominum in solum & unicum Deum conijcit.  
Eandem ergò hæc doctrina ab incredulis ac perditis homini-  
bus removet.

107. III. *Quia incredulos in divino judi-  
cio reddit excusabiles.* Omnes homines erunt in divino  
judicio inexcusabiles, & sanè postulat divina justitia, ut nemi-  
nem condemnet, nisi reum, ideò inexcusabilem, quod igitur  
dogma reddit incredulos in divino judicio excusabiles, hoc Dei  
judicium injustitiæ arguit, ideò inter inexcusabiles errores nu-  
merandum.

108. *Inexcusabiles autem fiunt homines dupliciter : 1. Ex  
peccato, cujus quia omnes rei sunt, nemo se potest eo nomine ex-  
cusare Ps. 51. v. 7. 2. Ex incredulitate, de qua Salvator ita disserit :  
Qui credit in filium, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus  
est, QUIA non credit in nomen unigeniti filij Dei : Joh. 3. v. 18. hoc no-  
mine etiam gētiles inexcusabiles pronunciat Apostolus, quibus  
indita fuit Dei notitia, ut eâ excitati, ulteriorem & salutarem e-  
jus notitiam investigando sibi compararent Rom. 1. v. 20. 21. Ut er-  
gò priore modo omnes inexcusabiles sunt, sic posteriore soli  
damnandi, qui æterno igni adjudicabuntur, quia non crediderunt.*

109. Hoc præsupposito *argumētatur.* Quod dogma incredu-  
litas causam ob hominibus dānandis removet, illud dānandos

E 2

reddit

reddit in iudicio Dei excusabiles, (quatenus damnandi sunt, *Quia non crediderunt.*) Sed dogma de vocationis inefficiâ per operationem DEI, causam incredulitatis ab hominibus damnandis removet, siquidem ipsi causa non fuerunt, quò minus vel credidissent, vel non crediderint. Ergò dogma de vocationis inefficiâ per operationem Dei, damnandos reddit in iudicio Dei excusabiles.

110. IV. *Quia tribuit Deo quod in negotio sempiternæ salutis miseros mortales ludificet.*

Deum seriò nobiscum agere, nec quemquam ludere in rebus salutem animæ concernentibus, tot asseverationes & juramenta restantur abundè; Ergò quæ doctrina hoc tribuit Deo, quòd miseriis mortalibus in æternæ salutis negotio illudat, ea falsissima est, maximeq; erronea.

III. *Illudere* autem dicimus, non eum, qui, cùm verbis asperis simulet iram, minetur carceres, exitium, aliaq; mala, sub hac autem severitate opera beneficentiæ occultet, qualiter martationem filij Abrahæ injunxit Deus, Ezechiaæ vitæ terminum instare nunciavit, Ninevitis exitium comminatus fuit, &c. quæ probatio fuit, paterna castigatio, & salutis istorum promotio; Verum; *illudere* is dicitur, qui bonum promittens ac de foris simulans, nullum tamen bonum unquam conferre, aut offerre, animum induxit; deterius verò ludit is, qui bona simulat, benevolentiam & gratiam se offerre, sanctè jurat, interea verò venenum propinat, damna quærit, & in mortem præcipitem agit.

112. *Dogma de vocationis inefficiâ, ex parte Dei tribuit Deo, quòd miseriis mortalibus in negotio æternæ salutis illudat, quod probatur;* 1. Quicumq; verbis blandis invitat, & simulat, se magnoperè optare, ut veniat, quem tamen non vult ad se venire. 2. Qui jubet venire, & venienti promittit æternam vitam, quem tamen venire non vult, imò ne veniat, vi occulta prohibet; 3. Qui simulat, se dolere, quòd non comparent, quos ipse voluntate seriâ destinavit, ut non veniant, nec possint aliter, quàm non venire; 4. Qui pænas minatur, & infligit ei, quem tamen simulat, se ex animo cupere à pœnis ereptum, is ludit eum, cum  
quo

quo taliter agit; sic verò, juxta male-reformatum dogma, Deus in salutis negotio cum plærifq; hominibus agit, ut pronunciata Adversariorum superius posita docent. Ergò idem dogma tribuit Deo, quòd miseris mortalibus in negotio æternæ salutis illudat: Et per consequens, illud falsissimum est, & maximè erroneum.

113. Tria excipiunt Adversarij: Unum, Deum non illudere, quoniam hic non sint pugnantia; & doctrinæ de vocatione, quoad solos electos, efficaci, non opponatur altera, qua Deus promiserit, se omnes efficaciter donaturum fide salvificâ. Crocius convers. prut. part. 2. cap. 13. pag. 413.

114. Resp. Lusus est in re seriâ, nemo nostrum somniavit, nedum docuit unquam, Deum omnes efficaciter donare fide, aut promississe hoc facere; hoc verò dicimus: Deum promississe omnibus verbo efficaci fidem ita offerre, ut omnibus eam re ipsa efficaciter esset donaturus, si ipsorum reluctantia non obstaret; opponitur illi pollicitationi occultum decretum, quo Deus multos, quos dicit se velle salvos esse, destinat damnationi, cum nunquam voluerit, eos salvos fieri: item, vocat, promittens vitam si credant: hanc conditionem dicunt impossibilem; rursus ergò Deus hypocritam ageret, qui vocaret, interim occultè detineret, quem vocat; sub impossibili autem conditione, quod promittit, idem est ac si neget, inquit Wendelinus cap. 15. pag. 87. Quod illorum est ac turpissimorum hypocritarum. Agnoscit hanc oppositionem Beza non invitus, quæstionem illam sic formans. Sed quid, si quippiam celari à Deo dicamus ei, quod idem præ se fert, & quod patefacit repugnans? annon tunc à se ipso videbitur dissidere, & plane hypocritam agere? Nequaquam? Resp. 2. ad Act. Colloq. Mompelg. p. 173.

115. Alterum; Deum non illudere, cum gratiam suam exterius, non autem interius offert iis, quos sanare nec tenetur, nec vult: ut qui tunc per verbum suum justa sua judicia non minus seriò exerceat, quam cum per idem illud verbum gratiam suam exerit in iis, quos servare dignatur.

116. Resp. 1. Non quæritur, annè Deus teneatur sanare, quos vocat? quia illudere potest his, quibus nihil debet, gra-

uitam sanationem se offerre simulans, quam tamen re ipsa non offert, magis scopulum illis ipsis occultè ponit, in quem impingant. 2. Non quæritur, an Deus per verbum iudicia (puta indurationis, & gravioris damnationis) exerceat? Sed an eodem verbo, quo putatur iudicia sua exercere, ludat homines, simulando, quòd sub illo gratiam suam offerat, & salutem eorum moliat, cum interim nihil minus faciat, potius damnationem offerat factò, qui salutem se offerre pollicebatur verbo? quod certè hypocrisis est & illusionis.

117. Tertium : Deum vocatione ostendere, quid requirat hominum officium, ac simul monstrare, justissimam condemnationis causam; idq; pro excusatione simulationis adducit *Vendelinus pag. 91 c. 15. & alibi*; sed frustra : 1. Non enim quæritur, an Deus ostendat impijs officium, neq; an monstret justam condemnationis causam? Nam ut ut se hoc habeat, si Deus illa verè docet, interim facit miseris spem salutis, quam tamen factò denegat, ipsis illudit. 2. justam causam damnationis ut monstret Deus, non est, quòd adhibeat doctrinam Evangelij; siquidem hoc ipsum præstare potest per verbum legis, per Evangelium autem nò tam cõdemnationis, quàm salutis causam ostendit, quippè non de justitiâ Dei prædicans, sed misericordiâ, quæ neminem condemnat. 3. Absolon fratrem Ammonem ad convivium invitans, eundem pessimè lusit, sub verbis blandis & amicis acerbissimum odium occultans, quantumvis justum Dei iudicium exercuerit Absolon, causas etiam perditionis in ipsâ cõde monstravit, simulq; docuerit officij Ammonis fuisse, castè vivere, sibiq; ab incestu cavere: ita, si maximè Deus similes effectus sub inefficace (quam dicunt) vocatione, edat, quam diu tamen hoc manet, quòd Deus verbo suo veritatem non proponat sincerè, sed dicēs, se velle, ut omnes salvi fiant, ad agnitionem veritatis veniāt, & resipiscant, hoc autem intus & re ipsa nolit, & prætedēs, se quærere & operari hominum conversionem ac salutem, interim eorum indurationem & damnationem operetur, hypocrita & mortalium illusor dicendus erit, nec poterit sana mens, cui *ὄνηρα* illusionis innotuit, aliter iudicare.

118. V. Deus ad suum regnū vocat omnes homi-

mi-



mines in individuo, sine discrimine loci, temporis, populorum, ætatis. Variè hic loquuntur reformati: modò enim fatentur externam vocationem universalem, h. e. electis & reprobis communem: Calvinus, instit. lib. 3. cap. 24 §. 1. Beza resp. 2. ad acta coll. Mompelg. pag 93. 96. modo inficiantur: quo in genere multi laborant passim, in primis autem Johannes Jezlerus lib. de fructu mortis dominicæ, per totum; Joh. Crocius, part. 2. cõversat. pruten. cap. 13. Wendelinus tract. de prædest. cap. 3. & 7. &c. quorum verba ut adscribamus, supervacaneum ducimus, relinquimus autem ipsorum curæ, ut, quomodo concilientur invicem, dispiciant. Nos thesin primùm declarabimus; deinde argumentis, è scriptura petitis, confirmabimus: deniq; Adversariorum objecta removebimus.

119. *Declaratio fit dupliciter. 1. per legitimam status formationem*: quam damus ejusmodi *Vocationem* dicentes, intelligimus prædicationem externam, per quam auditores modo convertuntur, modo non convertuntur; ut tamen vocatio ista, prout à Deo procedit, suam efficaciam perpetuò habeat, nulli autem inane, & per se inefficax verbum offeratur, ut nisi homo ipse conversionem & salutem impediatur, ea certò futura sit, ceu perpetuum vocationis consequens.

120. Nugas itaq; censebimus, si huc repetantur distinctiones jam protritæ, vocationis *externæ & internæ, efficaciæ ac inefficaciæ, seriæ ac simulatæ, &c.* dum loquimur non nisi de *seriâ*, eaq; *externâ* per verbi prædicationem, quæ simul *interna* sit, nisi impediatur; ideò de vocatione *efficaci*, quousq; Deus virtutem penetrandi, & corda commovendi largitur, quantumvis per indispositionem subjectorũ, in quæ operatur, efficacia verbi & vocationis nihil efficiat in nõnullis, quibus illud prædicatur, & vocatio offertur.

121. Removemus quoq; ambiguum phrasin, cùm nos *vocationem* dicimus *omne monitum*, quo homo ad Deum perducipotest, reformati autem solam externam, ac *solennem prædicationem* verbi, quam ratione singulorum individuorum universalem esse, minimè affirmamus.

122. *Æquè remota esto inanis cogitatio adversariorum, ac si nemo per verbũ vocetur, nisi cui illud prædicatur in ipso sua habitationis loco*; cùm certum sit, vocari eos verbo, in quorum territorijs ac domibus prædicatio ista non sonat. Idem

123. Idem esto iudicium de ambigua usurpatione vocis *predicare*: quasi requiratur ad vocationem *missio* cuiusdam Apostoli, aut ministri, qui orali concione homines informet, cum idem per *lectionem* verbi divini, & aliorum utilium scriptorum satis commodè fieri queat.

124. Summa: Universalem vocationem asserentes, credimus, Deum omnes homines vocare, sive verbo, eoq; lecto, aut prædicato, vel nutu per naturam, famam, aut media similia; ut quicquid modò allicere potest ad Deum, sive primò & immediatè, sive consequenter, ac mediatè, id omne vocationis nomine veniat.

125. Proindè; status quæstionis in eo consistit: *An Deus ad regnum suum omnes omninò homines, sive verbo, sive nutu, & omninò tali & tam efficaci medio vocet, per quod ad hereditatem regni omnes pervenire possent, nisi illorum quidam vocationi repugnarent.*

126. 2. *Per modorum vocationis considerationem.* Non sumus in ea opinione, quasi uno modo vocentur omnes; ut enim inter homines, vocatio fit per *vocem immediatam*, per *internuncios*, per *litteras scriptas*, per *sibilum, nutum &c.* sic etiam Deus vocat modis varijs, omnibus tamen ita comparatis, ut sint sufficientes, ac satis efficaces ad perducendum in perfruitionem regni Dei. Vocat Deus sine medio Abramum, quem ex Ur Chaldæorum educit *Genes. 12. v. 1.* Vocat per Prophetas & Apostolos *Matth. 22. v. 3. cap. 23. v. 37.* Vocat per litteras, scriptum nempe verbum, quod est epistola Dei ad homines; Vocat per sibilum (regem Assyrium *Esa. 7. v. 18.*) vocat per nutum ac solam demonstrationem objecti amabilis, quando facit publicum, quòd alicubi terrarum, etiam remotissimarum, eximius thesaurus lateat, qua famà extimulantur ad inquirendum & inveniendum thesaurum illum; ita vocat Deus volucres cœli, ad vorandum carnes bello cæsorum *Ezech. 39. v. 17.* sic ergò vocat Deus.

127. I. *per naturam*: Natura per se ac immediatè neminem perducit ad fidem, & in salutarem Dei agnitionem; excitat tamen & extimulat ad inquirendum verum Deum, qui se inveniri faciet inquirentibus. Circa quod vocationis genus  
notan<sup>r</sup>

notandum; *duplicem esse naturalem vocationem*, prout natura est *singularis* cuiq; homini propria; & *universalis*, quam intelligimus totum universum, seu orbis cœli ac terræ *σύσημα*: utroq; modo Deus vocat.

128. *Primum* quidem per *opus legis* in cordibus scriptum, & per dictamen *consciētiae* Rom. 2. v. 15. 16. per quod didicerunt gentes post hanc vitam expectare sempiternam felicitatē, aut æternum tormentum ac supplicium, ideò ad Dei cultum adeò fuerunt extimulati gentiles, ut maluerint religioso affectu ligna, lapides, proprij q; cerebri figmenta prosequi, quam nullum Deum colere; quo certè modo vocati fuerunt *omnes* ad considerandam & capessendam religionem Judaicam, & ejus gentis cultum eximjs Dei revelationibus publicatum.

129. Deindè per *considerationem structuræ celi & terræ*, & operum in ijs, quibus Deus suam benevolentiam terricolis declarat; de qua vocatione luculenter admodum differit Apostolus Rom. 1 v. 19. sq. *Quòd notum est Dei, manifestum est in illis (gentilibus) Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim illius à creaturâ mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoq; ejus virtus & divinitas; ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, &c.* Act. 14. v. 16. 17. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo & læticiâ corda eorum.* c. 17. v. 26. *Fecit ex uno omne genus hominum, inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, querere Deum, si forte contredent, aut inveniant eum.*

130. Non inficiantur reformati hunc modum vocationis, etsi causentur eum insufficientem esse: Beza resp. 2. ad Act. Colloq. Mompelg. pag. 95. *Veritatem, id est, imaginis divinæ vestigia, quæ οὐδὲν λόγον vocant philosophi, in quibusvis hominibus, imò & singulis adultis reliquit, quasi perpetuum præconem intus, etiam maxime surdis loquentem; non cujus voce serventur, quamvis viam salutis comonstret, si veritas illa præstari ab ipsis posset; sive ipsi possent ex ejus præscripto vivere, sed sicut monet Apostolus, ut sic fiant ἀναπολόγητοι.* Perkin. lib. de præd. & gratia Dei, tom. 1. pag. 148. *Loquuntur (patres)*

F

de vo-

de vocatione naturali, sive de gratia natura, in reliquis lucis & intelligentie naturalis, in communibus virtutum donis, in beneficiis externis, quae Dei providentiae, ac bonitatis etiam documenta sunt. Et huc allegat quaedam dicta auctoris de vocatione gentium lib. 2. vocationem istam confirmantia. Polanus syntagmat. rom. 2. lib. 6. c. 32. pag. 315. G. H. Vocatio ad Christum duplex est: una per naturalem gratiam, altera per supernaturalem gratiam. Vocatio ad Christum per naturalem gratiam, est vocatio universalis, omnibus creaturis rationalibus communis, quae fit à Deo secundum illarum esse naturae communiter, omnes & singulos ad salutem vocante. Duo sunt autem, quae ad illud esse naturae pertinent: nam & suus est vocatis naturalis modus, & suus ordini, quo vocati ad Deum vocantem ordinantur. Vocati ergo tum Angeli, tum homines, secundum modum naturae suae, quae sunt ad imaginem Dei creati primum, non modo naturalem potentiam, sed habitum (quod amplius est) instinctum, sensum, motumque, habent, quo vocationem sui, in conscientia sua circumferunt singuli pro modo naturae suae. Hac vocatione universalis secundum naturam etiam in hac corruptione homo vocatur ad conscientiam & studium salutis suae tum universalibus naturae documentis: nam caeli enarrant gloriam Dei Ps. 19. tum singularibus principiis & notionibus communibus intellectui hominum à natura inditis. Secundum ordinem vero naturae totius, quae ad Deum respiciunt, quodam naturali modo & affectione ad Deum feruntur, qui eos ordine naturae ad sanctam sui communicationem vocat per filium, qui character est personae patris & prototypum exemplar imaginis Dei in Angelis hominibusque deposita. Kimedont. de divin. praedest. c. 14. p. 585. 586. Exterior vocatio est vel naturalis, vel supernaturalis. De prioris accipiendum est, quod canit Psaltes: Coeli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum. Non est lingua, non loquela, ubi non audiatur vox eorum. Et Paulus ad Rom. 1. scribit, invisibilia Dei, eternam videlicet tum potentiam, tum divinitatem, ex creatione mundi perspicere, ad hoc ut reddantur homines inexcusabiles. Et alibi, non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, dans caelitus tempora fructifera. Hoc naturae testimonium, nunquam de Domini bonitate ac potestate cōticescit, sed praedicatione perpetua majestatem loquitur sui auctoris. Quia tamen ad vocem naturae obsurduerunt aures nostrae, quo minus, quae monemur utiliter, audiamus, accessit doctrina legis ac Evangelij, & instituti sunt ministri verbi & gratiae, &c.

131. Confessionem habemus adversariorum satis luculentam

ram; Quod verò causatur Beza, hanc vocationem *insufficientem*, quòd non possint omnes ex eius *præscripto* vivere, de nihilo est: quia 1. Deus ideò hunc *præconem* gentilibus dedit, ut *ipsum* quærerent ac *invenirent*; quare potuerunt ex *præscripto* illius vocationis vivere, h. e. Deum quærerere & invenire: nec n. hæc res legalis est, sed Evangelica, ubi Deus vim & efficaciam medio addit, ut nihil sit opus, effectum ex humanis viribus æstimare. 2. Deus ideò hunc *præconem* gentilibus dedit, ut *essent inexcusabiles*; qui tamen maximè excusabiles essent, si nò possent ex *præscripto* vocationis vivere; qualiter omnes homines excusari esset, quod à terra corpore suo in cœlum non evolât, si maximè Deus hoc mandasset, 3. Vires humanæ non deficiunt, in actibus externæ pædagogicæ, ut omninò naturalis homo valeat inquirere, quid in hoc, quid in illo populo, de cultu Dei, & religione doceatur: Jam verò naturalis illa vocatio nihil ultrâ postulat, quàm externum studium inquirendi in religiones & cultus variorum populorum, nec dubium, qui eo affectu & instinctu, quem naturalis vocatio generat, sincerè quæsierit, verum Deum inventurum esse.

132. II. *Per Ecclesiæ famam*. Nota fuit Ecclesia in orbe quovis tempore; Etenim posteritati Caini, notus erat, aut saltem esse poterat cultus posterorū Sethi; Patriarchæ noti erant in terrâ Chanaan, itemq; in Mesopotamiâ, & Egypto &c. quòd peregrinati fuerant; *Gen. 12. v. 5. 10. c. 20. v. 1. c. 26. v. 1. c. 28. v. 5. c. 41. v. 43. &c.* postmodum Egyptum relinquens Israel innotuit pluribus populis, præsertim nomine cultus, qui in eo esset singularis atq; eximius; adeò, ut rex Babylonius, viso miraculo solis ad decem gradus retrocedentis, causam ejus in populo Israel, quippe cui Deus proximus erat, investigaret. *2. paral. 32. v. 31* Hinc Ecclesia fuit in monte posita civitas (extra suos paroxysmos) cunctis gentibus conspicua *Matth. 5. v. 14.* ad quos fama illius penetravit.

133. Atqui, si Deus volucres cœli ad escã vocat, homines cœdendo & in cibum ipsis obijciendo: si mercator ad exercendam mercaturam & advehendum necessaria ac utilia, ad conquiendum aurum, argentū, lapides preciosos &c. vocatur vel eo, quòd fama harum opum ad quendam populum penetravit, sive certa sive dubia, sive generaliter lucrum promittens, sive in specie il-

lud definiens, &c. nec ultra eam famam ullus hominum novam vocationem illuc commigrandi expectat, satis esse ducens, digito & eminus monstratum fuisse: si vocatur homo ad inventionem thesauri, tantum ita, quod ei innotescit, illum in agro latere absconditum; si vocabantur Jacob, ejusque familia ad cibum, quando eum in Egypto distribui ac divendi eminus intelligebant, *Gen. 42. v. 1.*

134. Certè, vocantur etiam, quicumque; comperiunt famam laudari cultum Ecclesie Christianae, aut saltem Christianos huc singulariter laborare, ut penes ipsos sit verus cultus, & salutaris agnitio Dei, quorum utrumque; ex verbo per Prophetas revelato, & multis miraculis comprobato, se eruere jactant: namque; hoc ducit animum noticiæ Dei cupidum, ut in ejusmodi cultum studiosè inquireat, & inquirendo inveniat: non aliter, atque; mercatores famam excitati in remotissimas Insulas abeunt, quærentes omnis generis preciosa, inveniunt etiam, eò vocati divinitus; & uti Jacob filios in Egyptum mittens vocationi divinæ, quæ per famam publicam ei contigerat, parer, cibos pro se & tota familia impetrat; & denique; Magi apparitione stellæ moti & divinitus vocati, per terram Judæam natum Messiam quæsierunt, & quæsitum invenerunt.

135. *III. Per prædicationem.* Nomine *prædicationis* nolumus solum publicum Ecclesie ministerium, & solennes ejus conciones accipi; sed annunciationem, quæ fiat, vel per sensum visus, vel auditus: illa *lectionis* est, per quam auctores scriptorum lectu præceptorum loquuntur ad cor legentium; hæc *prædicationis & auscultationis*, Et fiat prædicatio, vel in statu Ecclesie ordinario per ministros verbi, vel in statu extraordinario, per quoscunque; etiam privatos homines; qualiter Bethlehemita per opiliones istius loci fuerunt vocati. *Luc. 2. v. 17.* Indi per Frumentium, referente *Theodoreto hist. Eccles. l. 1. c. 23.* alij per alios.

136. Gemino autem modo instituitur prædicatio ab homine. 1. *directim.* 2. *oblique*: ille est *jam jam auscultantium*, hic *parvulorum & posterorū*: Quemadmodum decreta Cæsarea *directim* proponuntur Imperij statibus, per hos oppidorum civibus, aliisque; subditis; Et decreta senatus in civitate publicantur *directim*.

Etiam solis civibus, per consequentiam, & his mediantibus, etiam mulieribus, pueris, infantibus, posteris denique nascituris.

137. Taliter legem tulerat Deus Israelitis ad radices montis Sina constitutis, quorum nullus visurus erat terram promissam, sed ad eosdem sic loquitur Moses, ac si ipsimet, qui post latam legem nati fuerant, monti Sina, & promulgationi legis adstiterent, *Deut. 1. v. 6. sq. usq. ad cap. 7.* quod absurdum, nisi in majoribus suis etiam illis lex fuisset promulgata; simili ergo modo, quo Israelitæ in majoribus suis legem à Deo acceperant, foedus cum ipso inierant, etiam quicumque posteris in majoribus suis à Deo vocantur propter eandem rationem, quia Deus non vult revelationem verbi personalem esse, & ad paucos spectare, sed propagari ad omnes posteros. *Eph. 6. v. 4.* uti voluit legis revelationem posteritati mandari. *Deut. 4. v. 10.*

138. Simili modo, Adamum Deus illuminavit per creationem non solum, sed in eo, omnes quoque posteros: ita eundem ad gratiam vocavit per Evangelicam concionem, sed in illo totam posteritatem. Ubi quidem prius luculenter concedit Perkinsus, posterius negat. Verba ejus in *Anatom. conscient. pag. 1208.* hæc sunt. *Lex semel Adamo data, & cordi ejus in prima creatione insculpta, in ipso, tanquam radice totius humani generis, omnibus hominibus lata fuit: Et sicuti peccante Adamo, omnes in eo homines peccarunt: ita cum ipse illuminatus esset, omnes in ipso illuminati fuere; & consequenter lege obligata ipsius conscientia, omnium conscientia in ipso obligata fuerunt. Et quamvis culpa hominum cognitio illa deperdita sit, obligatio tamen ex parte Dei remanet. Aliter vero se res habet cum Evangelio, hoc natura hominis nunquam fuit insculptum, sed ipsi post lapsum primo datum, ipsamque naturam longissime excedit.*

139. Resp. 1. Confessionem acceptamus, & quamvis gratia (quæ post lapsum Adamo contigit) non fuerit naturalis, ut quidem natura ipsa cum suis peccatis; ad hoc tamen, ut in Adamo, ceu stirpe, posteris etiam vocentur, non requiritur præcisè natura, siquidem dona civilia, quæ conferuntur in parentes, dantur simul eorum filijs atque posteris; prædia, & feuda à Magistratu in strenuos atque emeritos milites collata, nonne posteris dantur? qui tamē in majoribus suis, ut stirpe, hæserunt, non ratione for-

runarum & opum, sed solius naturæ. Uti vicissim crimen læsæ majestatis non tantum bona cuncta adimit reo, sed etiã toti ejus posteritati, quamvis posteris, nõ ratione hujus peccati, sed naturæ, fuerint in criminis reo. Imò, quisquis opes suas aleã & luxu dissipat; iisdem & se defraudat & posteros, qui non existunt in eo, ratione istius profusionis, sed naturæ. Levi decimas dedit Melchisedecho, adhuc existens in lumbis Abrahamæ, quãdo illius avus, Isaac, nondum erat natus. *Gen. 14. v. 20. Heb. 7. v. 9. 10.* et si decimatio naturam ipsam nihil quicquam concerneret. Adde, quòd fœdus etiam initur & consummatur, cum viventibus simul & horum posteris; qui accipiunt promissiones fœderales in majoribus, etiã per hos ad servandum fœdus vocantur, imò obligantur: taliter pepigit Dominus fœdus cum Noacho & semine ejus, de non immittendo amplius diluvio. *Gen. 9. v. 9.* cum Abrahamo, & semine ejus per circumcisionem, cui promissa dedit: *Ero Deus tuus & seminis tui post te, Gen. 17. v. 7.*

140 Ex his ita adductis *argumentamur*: Omne donum, quod non est merè personale, sed cõmunicari potest posteris, sive aliàs sit naturale, sive non, non datur soli immediatè accipiẽti, sed etiam semini illius, liberis, nepotibus ac posteris. Verbũ divinæ vocationis, est donum nõ merè personale, sed posteritati cõmunicabile. Ergò verbum divinæ vocationis, nõ datur solis immediatè accipientibus, sed etiam eorundẽ semini, liberis, nepotibus, posteris; Ergò hi omnes verbo vocationis majoribus dato vocantur.

141. *IV. Per initiationis sacramentum.* Circumcisio erat quondam sigillũ fœderis inter Deum & homines. *Gen. 17. v. 7. Rom. 4. v. 11.* Successit ei in novo Testamento baptismus, qui & ipse stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo. *1. Pet. 3. v. 21.* per hæc igitur media vocari homines, vel inde certum est. Omne fœdus vocat alterã partem simul ad obsequium, & beneficium fœderale. Baptismus est fœdus. Ergò baptismus vocat omnes baptizatos ad fœderale obsequium (Christo credere & eum sequi) & beneficium (Ecclesiæ communionem & vitam æternam.)

142. Hisce vocationum modis ita consideratis, nunc videndum, etiamne *vocatio sit universalis*. Ubi dicendum, non omnes eodem modo, omnes tamen aliquo modo, & quidem sufficiente, ad  
per;



perducendum in regnum cælorum, vocari, ita, ut in divino iudicio futuri sint inexcusabiles, quod fieri nullatenus posset, nisi Deus sufficiente vocatione aditum illis parasset ad regnū cælorum. Quam universalitatē asserimus hoc syllogismo universali.

143. *Quoscunq; homines. 1. Deus vult salvos fieri. 2. Christus redemit. 3. vocari jubet. 4. actu vocat. 5. mediis universalibus & ad omnes homines extensis, vocat. 6. ob vocationis contemptum punit. 7. Ut nullum genus hominum à vocatione excludat, Eos utiq; vocat. Omnes omnino homines. 1. Deus vult salvos fieri &c. Ergo omnes omnino homines Deus vocat.* Perspicuitatis causa syllogismum generalem in speciales resolvimus, universalitatem vocationis divinæ ad omnes prorsus homines extensam obtinentes his argumentis.

144. *I. Quia Deus vult omnes homines salvos fieri.* Certa consequentia est: Quemcunq; Deus vult salvū fieri, eū omnibus modis ad se pertrahere laborat, nec in se patitur deesse quicquam, quod hominē ad Deum pertrahat, & consequenter, eundem ad se vocat; nam & vocatio est medium ducendi homines ad Deum: Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, quod expressa scriptura loquitur, *1. Tim. 2. v. 4. Rom. 11. v. 32. 2. Pet. 3. v. 9.* & alibi copiosius fuit demonstratum. Ergo Deus omnes homines ad se pertrahere laborat, & consequenter vocat.

145. *II. Quia Christus omnes homines redemit.* Redemptio est salutis humanæ exordium, utpote per quam factum, ut Deus in gratiam reciperet peccatores: consummatio hujus beneficii cōsistit in vocatione & ex ea secutâ justificatione, ac fide perseverante; Ideo Christus redemit, ut, quos redemit, salvaret; cæterum, finem hunc nunquam assequeretur, nisi redemptionem cunctis manifestaret, & ad redemptionis acceptationem alliceret, efficaciterq; vocaret redemptos; ut dubia fieri non posset hæc propositio: *Quemcunq; Christus redemit, eum ad regnum redemptione partum vocat.* Cæterum redemit omnes omnibus tēporibus a mundi exordio, ad finem usq; mundi viventes & victuros homines, quod expressa scriptura loquitur. *Esa. 53. v. 4. sq. 2. Cor. 5. v. 14. Heb. 2. v. 9. 1. Ioh. 2. v. 2.* Ergo omnes omnibus temporibus homines viventes vocavit.

*Quia*

146. III. *Quia Christus omnes vocari jubet.*

Mandatum expressum legitur. *Matth. 28. v. 19. 20. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quaecunq; mandavi vobis: Quod Marcus his verbis consignavit. Euntes in mundum universum, predicare Evangelium omni creaturae. Cap. 16. v. 15.* Et si vocatio hæc non concernat omnium temporum homines, sed tantum eos, qui post Christi ascensionem vixerunt, non tamen hos solos, sed eorundem etiam posteros, ad finem usq; mundi victuros, quia hæc non debuit esse *universalis vocatio mundi*; sufficit, verò fieri discrimen electorum ac reproborum, sed tam hos quam illos, uno eodemq; verbo ad regnum filij Dei vocari.

147. Sic argumentamur. Quicumq; vocat omnes gentes, is vocat omnes homines. Ratio est; 1. quia nomine & amplexu *omnium gentium*, comprehenduntur etiam omnia hominum individua. 2. Creaturae (scilicet prædicationis capaces) omnes sunt docendæ; tales autem sunt omnes homines singulares. 3. Distributivè Christum accipere voculam *gentes*, manifestum est ex mutatione generis, *ἵνα εἰδῆται, διδάσκαλοι εἰς πάντα*, docete gentes, baptizantes EOS. Posterius enim pronomen non construitur cum toto individuorum complexu, *gentes*, sed cum singularibus sub eo comprehensis.

148. IV. *Quia actu omnes vocat.* Christus ipse voce expressa vocat omnes laborantes & oneratos: *Matth. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: laborantes & oneratos non intelligens solos electos pœnitentes, sed quosvis peccatorum sensu afflictos, qualis erat & Judas Matth. 27. v. 4.* Eandem vocationem ostendit parabolis invitatorum ad cœnam magnam *Luc. 14. v. 16.* & ad nuptias regias *Matth. 22. v. 3.* nec non seminis per totum agrum (mundum *Matth. 13. v. 38.*) sparsi, cadentis sub spinas, in viam, in petram æquè, ac in terram bonam.

149. Idem manifestè colligitur ex mandato, Christi fidelibus servis dato, & ejus executione, neq; enim suspicari licet, apostolos nō fuisse mandatū Domini fideliter, omniq; studio executos; & testantur ipsi de universali hac vocatione ad omnes homines strenuè peracta. *Act. 17. v. 30. tēpora hujus ignorantiaē despiciens Deus,*

Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant *Col. 1. v 28.* Annunciamus Christum, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. Et in eodem capite *vers. 6, 23,* testatur Apostolus, Evangelium in universo mundo fructum ferre: *Verbum veritatis Evangelii in universo mundo est, & fructificat & crescit.* Item: *Evangelium audistis, quod prædicatum est in universâ creaturâ, quæ sub cœlo est.* Vix posset ullis verbis universalitas vocationis magis exaggerari, atque hîc fecerunt Apostoli; quicquid ergò contrâ mullitent adversarii, nihili facimus, imprimis, quia textus allegati vocatorum universalitatem tantoperè urgent, & repetendo inculcant.

150. *V. Quia Deus mediis universalibus, & ad omnes homines extensis in illorum hominum vocatione utitur.* Sic argumentamur: Ad quemcunq̃ spectant vocationis media, is per illa media vocatur: Ad omnes homines spectant vocationis media, quibus DEUS utitur. Ergò per media vocationis, quibus DEUS utitur, omnes homines vocantur. Minor probatur dupliciter: Sunt enim ejusmodi vocationis media, quæ omnibus hominibus sunt communia: Quædam non quidem singula probant vocationis universalitatem, juncta verò hoc ipsum sufficienter præstant. Evincemus itaq̃, vocationis media ad omnes homines spectare, per considerationem mediorum. 1. quæ singula sunt universalia. 2. eorum quæ juncta sunt universalia.

151. In priore classe duo media damus. 1. naturalem insinctum. 2. predicationem. Quoad prius: Quisquis vocatur per naturam, is adeò vocatur efficaciter & sufficienter, ut in judicio Dei futurus sit inexcusabilis, si vocationi non paruerit, ut supra demonstratum: Certum verò est, per naturam vocari omnes, qui humanæ naturæ sunt participes; Hinc ita concluditur: Quisquis vocatur per naturam, is à Deo vocatur efficaciter ac sufficienter: Omnes homines, quicunq̃; scil. naturæ humanæ sunt participes, per naturam vocantur. Ergò omnes homines, quicunq̃;

G

cunq̃;

cunq; naturæ humanæ sunt participes, à Deo vocantur efficaciter ac sufficienter.

152. Quoad *posterius*: prædicationem fieri diversis modis, supra fuit expositum: nempe per *scriptionem* & *vivam vocem*: Et quæ fit per *vivam vocem*, aut dirigi ad solos *immediate audientes*, vel his *mediantibus*, simul ad eorum *posterios* & *succeffores*, quibus per eos eadem *vocatio* *annunciatur*; *Missis prioribus vocandi modis*, per *prædicationem* omnes *homines vocatos*, affirmamus hoc *syllogismo*.

153. Quicumq; aut ipsemet audivit, de regno Christi & benevolentia Dei erga homines concionantes Deum, Angelos, antiquos patres, Prophetas, Apostolos vel ex his oriundus est, qui eosdem audierunt, is per prædicationem vocatus est, sive *immediatam*, sive *mediatam*; omnes homines, aut ipsi audierunt, Deum, Angelos, antiquos Patres, Prophetas, Apostolos, vel ex his oriundi sunt, qui eosdem audierunt; Etenim *posterio omnes audierunt*. 1. In *Adamo* Gen. 3. v. 15. 2. In *Noacho*, quorum uterque stirps fuit totius humani generis: 3. In *majoribus*, qui audierunt prædicantes *Apostolos*, aut ad quos hujus prædicationis fama & noticia pervenit. Ergo omnes homines per prædicationem vocati sunt, sive *immediatam*, sive *mediatam*.

154. In classe *posteriore*, quinque media damus. 1. *Creaturarum aspectum*, ducentem in *noticiam* & *considerationem* creatoris. 2. *Baptismum*. 3. *Immediatam prædicationem*. 4. *Famam*. 5. *Scripturarum lectionem*. Argumentamur ita: Quicumq; intuetur *coelos*, *cæterasque creaturas Dei*, in quibus *divinæ majestatis vestigia* *pressa cernuntur*, aut qui *baptizatur*, aut *ipsum audit verbum Evangelicæ vocationis prædicari*, aut per *famam* *cognoscit Ecclesiam*; aut *impetrare potest scripturarum auditionem vel lectionem*, is à Deo *sufficienter vocatur*: Omnes homines, aut *creaturas de creatore testantes cernunt*, atque *cognoscunt*, aut *baptismo tinguntur*, aut *verbum immediate prædicari audiunt*, aut *famam Ecclesiam cognoscunt*, aut *denique scripturarum auditionem & lectionem impetrare possunt*; quæ omnia sunt *manifestæ veritatis*, Ergo omnes homines à Deo *vocantur*.

VI. Quia

155. VI. *Quia ob vocationis contemptum*

*Deus omnes non-comparentes punit.* Si Deus ideò punit homines, & quidem omnes, qui ad nuptias filii sui non comparuerunt, & quidem punit ideò, quia non comparuerunt, hoc verò iudicium iustum est, sequitur, omnes homines ad nuptias filii Dei fuisse vocatos. Ratio consequentiæ firma est, quia in iusto iudicio nemo condemnatur, quia fuit inobediens vocationi, quæ nunquam ad ipsum pervenit (siquidem causa non-comparitionis hæreret in vocante, non in eo, qui comparere debuisset.) sed punit Deus iusto iudicio omnes homines, qui ad nuptias sui filii non comparent, ideò, quia non comparent; 1. usum Cœnæ denegando. Matth. 22. v. 8. *nuptiæ quidem paratæ erant, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.* Luc. 14. v. 24. *dico vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* 2. Interficiendo, & urbem succendendo. Matth. 22. v. 5. seq. Hoc est, quod Christus ait. Ioh. 3. v. 18. *Qui non credit in filium, jam iudicatus est, QUIA non credit in nomen unigeniti filii Dei.* Ergò omnes homines ad nuptias filii Dei fuerunt vocati.

156. VII. *Quia Deus nullum genus hominum à vocatione excludit.*

Si ab enumeratis universalibus vocationum modis Deus neminem eximit, utique omnes homines vocat. Sed nullum excludit Deus. Ergò omnes vocantur. Adversarii inficiantur minorem, negantes omnium vocationem; & in Dei beneplacitum omnem culpam rejicientes, quòd aliqui vocentur, quidam non vocentur; quidam efficaciter, alii ineffaciter; utq; hoc obtineant, quædam hominum genera recensent, quæ non vocarit Deus, aut saltem non efficaciter; nempe *gentilium*, ante Apostolorum per orbem terrarum ablegationem, *infantum*, & quorundam *induratorum*, *Pharisæorum*, *Judæ proditoris*, aliorum Christi auditorum &c. Verum, quod attinet postremam classem, responsum est supra, *th. 57. sq.* & ostensum, in quo ineffacitiæ istius causa resideat, ut Deum inde oporteat eximi, culpam verò in homines ipsos transferri; de

vocatione *infantum*, item *gentium* ante Christi adventum, jam respondendum erit, quando expendemus, quid contra veritatem demonstratam objiciant reformati.

157. Quæ universalitati vocationis opponunt Adversarii, ad tres classes revocat *Iohannes Crocius* part. 2. *Convers. pruren.* pag. 408. sunt enim. 1. *Scripturæ testimonia.* 2. *Rationes.* 3. *Exempla.* De singulis agendum.

158. I. *Scripturæ testimonia* hæc sunt potissima. *Matth. 11. v. 25. 26.* Gratias ago tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis; ita pater; quoniam sic fuit placitum ante te. *Matth. 13. v. 11.* Vobis datum est, nosse mysteria regni Cœlorum, illis autem non est datum. *Iohan. 3. v. 6.* Spiritus ubi vult spirat, *2. Thess. 3. v. 2.* Non est omnium fides. *Rom. 9. v. 18.* cuius vult miseretur, & quem vult, indurat. *Act 13. v. 48.* crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

159. Resp. Superius, cùm de vocationis efficaciam ageremus, *thesi 85. seq.* plærisque respondimus, quæ brevitate causa huc repetita volumus, ea nunc addentes, quæ illic non fuere tacta. 1. *Matth. 13. v. 11. Vobis datum est &c. Quibusdam datum est nosse mysteria regni cœlorum cæteris non item;* non, quòd vocationem Deus velit esse particularem, sed quia, cùm omnes parabola alleciti, juberentur intellectum ejus sciscitari (quæ verè erat vocatio, imprimis, quia recitatâ parabolâ, Christus attentionem commendans exclamat, *qui habet aures audiendi, audiat*) plæriq; parabolicâ concione contentâ, abibant, cæteri sensum & explicationem accuratiorẽ, pandentem regni cœlorum mysteria, expetebant; hoc est, quidam vocationem protinus recusabant, ideò illis non dabatur mysteriorum noticia, alii in eam inquirebant, ideò ad noticiam mysteriorum sub parabolâ initiò propositorum perveniebant: imò ex allegatione textus Prophetici *Esa. 6. v. 9. 10.* monstrat Christus, indurationem cordis proprii obstitisse hominibus illis, quò minus revelarentur mysteria, quæ tamen jam incipiebant proponi; durities verò vocati non annihilat vocationem ipsam.

2. *Ioh. 3.*

160. 2. *Iob. 3. v. 8. Spiritus, ubi vult, spirat*, hoc est, Spiritus S. regenerat, quos vult; vult autem regenerare, non per occultum & immediatum afflatum, sed per certum ordinem, nimirum per aquam baptismi, & per Spiritum verbi. *Ioban. 3. v. 5. 1. Petr. 1. v. 23.* Ergo qui aquam Baptismi spernit, & Spiritui verbi resistit, eum Spiritus S. (voluntate consequente) regenerare non vult, ut in Judæis Jerosolymitanis *Actor. 7. v. 51.* Et Antiochenis *Actor. 13. v. 46.* cernere est: quamvis baptismum, & verbum omnibus exponat publicè, & velit (antecedente voluntate) omnes mortales regenerare: num ergo hinc vocatio particularis? negatur sequela; quia causa sapè agit, quam, quippe imè editam, effectus non consequitur.

161. 3. Apostolus pronuncians *2. Thess. 3. v. 2. Fidem non esse omnium*; quamvis non de salvificâ fide, sed de sinceritate & candore loquatur, scimus tamen, eum etiam quæsitum aliter respondere non posse, quàm, non omnes fide salvificâ præditos, neq; stolidus adeo quisquam est, qui universalitatem fidei assereret; non omnes ad scholam vocati comparent, non omnes ad templum vocati, sunt idonei auditores verbi, non omnes vocati verbo Evangelii, etiam sunt electi, quid ergo mirum, vocationem universalem non generare in omnium cordibus fidem? non certe aliâ de causâ, quàm ob nequitiam propriam, quæ vocationis à Deo factæ limites non coarctat.

162. 4. *Rom. 9. v. 18. Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Misereri vult antecedenter omnium. *Rom. 11. v. 32.* Quare omnes vocat, consequenter vult misereri fidelium, qui vocationi paruerunt; *Matth. 22. v. 10.*; indurare vult, antecedenter, neminem, volens omnes ad agnitionem veritatis & pœnitentiam venire. *1. Timoth. 2. v. 4. 2. Petr. 3. v. 9.* ideo omnes vocat; vult indurare, consequenter, præfractos verbi & vocationis contemtores. *2. Thess. 2. v. 11.* quia vocationi non paruerunt. *Matth. 10. v. 14. 15. cap. 11. v. 20. 21.* per nullam itaq; consequentiam infertur vocationis particularitas, optimè verò cognoscitur ejusdem universalitas.

163. 5. *Actor. 13. v. 48. Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*: Non quæritur quinam crediderint, sed

qui fuerint vocati, nam & Judæi Antiocheni vocabantur v. 44. qui tamen non credebant, inter gentes credidisse perhibentur, quotquot erant præordinati ad vitam æternam, cæteri verò, non credentes, itidem vocabantur; falsissimâ proinde consequentiâ proceditur ab electionis latitudine ad amplitudinem vocationis; ut falsò argumentaretur contra fidum præceptorem malevolus; decem tantùm viri docti è tua scholâ prodierunt. Ergò tu decem tantùm ad eruditionem vocasti, exhortatus es, & erudire voluisti.

164. II. *Rationes* adducuntur quatuor. 1. *A Dei voluntate immutabili: Quod Deus vult omnibus & singulis conferre efficaciter, id omnibus & singulis actu confert. At fidem salvificam Deus non confert efficaciter omnibus & singulis. E. Major patet: Omnia enim facit secundum consilium voluntatis suæ. Ephes. 1. v. 11. Consilium Iehovæ in seculum consistit Psal. 33. v. 11. Sunt verba Crocii, part. 2. Convers. prut. cap. 13. pag. 409. 410.*

165. *Resp. Quæ Deus hominibus confert, ea vel confert per immediatam potentiam, & operationem non dependentem à causis mutabilibus, ubi verum est, quicquid Deus conferre vult, id actu confert: cujus sunt generis, facultates naturales, peculiaria dona, animi & corporis, in quibus homo ipse nihil prohibere, nihil mutare potest. Matth. 6. v. 27. cap. 5. v. 36. vel confert Deus quædam per certum ordinem, in quo mutabiles etiam causæ occurrunt, quæ, quod Deus conferre vult, intercipiunt, ut non conferantur; sic enim vult Deus omnibus felicitatem conferre, in viis ejus ambulantibus & juxta virtutem viventibus. Psal. 34. v. 13. 14. vult benè esse in terrâ, & felicitatem etiam temporalem conferre Israelitis parentes honorantibus. Exod. 20. v. 12. siquidem verò non omnes obediunt, utiq; non confert, quod conferre voluit. Judæos voluit Christus ad se congregare hoc est, fidem & spiritualia beneficia hinc dependentia conferre. Matth. 23. v. 37. nec tamen quod conferre voluit, etiam contulit, quia ipsi noluerunt. Deus vult omnes homines salvos fieri. 1. Tim. 2. v. 4. nec tamen omnes salvi fiunt, quia subducunt se ordini, per quem Deus vult salvare.*

Exem.



166. Exempla possent adduci innumera, probantia, quæ Deus certo ordine vult conferre, ea non semper conferre actu, quòd is, cui conferenda erant, non submittat se ordini, quem Deus in conferendis bonis adhibere constituit: falsa igitur Major. Interim Deus secundum consilium voluntatis agere non cessat, qui fidem &c. huic, aut illi conferre vult, non voluntate absolutâ sed ordinatâ, extra quem ordinem quisquis constituitur, ei (in hoc statu perseveranti) Deus fidem &c. conferre non vult.

167. 2. *Ab absurdo. Si Deus omnes, quos per verbum externè vocat, vult interius trahere, nec tamen omnes veniunt, sequitur* 1. *tractionis efficaciam pendere ab hominis dispositione & obedientiâ.* 2. *hominem unum præ alio posse quicquam præstare, quo præstito, Deus ipsum fide donare velit.* 3. *fidei donum partim à Deo, partim ab homine pendere.* Nisi enim homo prius cum discendi studio verbum suscipiat, secundum Adversarios, fides ipsi non donatur, illud verò ex se posse dicitur. 4. *Deum efficaciter intus & foris operando nihil efficere, si homines non velint, proinde Dei potentiam hominum malitiâ superari.* Crocius d. l. pag. 410.

168. Resp. Quatuor coacervantur absurda, quæ singula expendere oportet. 1. *Sequeretur, tractionis efficaciam pendere ab hominis dispositione, & obedientiâ.* Resp. Coniunguntur disjuncta, propterea, quòd aliter de dispositione, aliter de obedientiâ sentiendum. Quoad *dispositionem*, nemini est ignotum, ad hoc, ut ager fructum faciat, duo requiri, unum, curam patris-familiâs, cujus est, bonum semen in agrum spargere; alterum conditionem agri, ne is ineptus sit ad recipiendum semen, & benignam solis fœcundantis operationem, ubi verò semen bonum est, sed ager malè dispositus, viatorum pedibus tritus, sub spinis situs, aut petrae incubans, fructus nullus prodit, certè ex indispositione agri. Quod, quia Christus ad verbum vocatio-nis accommodat, & parabolâ, ejusq; expositione ostendit, sub-jecti indispositionem esse causam, cur verbum apud omnes non fructificet. *Matth. 13. v. 19. seq.* qua fronte absurda illi quisquam affricabit?

169. De

169. De obedientiâ aliter sentiendum: Non potest homo non renatus suis viribus obedire Deo, ideò ab hominis obedientiâ non pender tractionis efficacia, ut autem tractionem istam nemo potest suâ obedientiâ promovere, sic inobedienciâ suâ valet impedire; propterea requiritur in Conversione, ut homo se habeat *purè passivè*, hoc est, uti nequit conversionem promovere, sic eandem ne impediatur contumaci reluctantiâ: Igitur simpliciter negamus consequentiam, quæ infert, pendere tractionis efficaciam ab hominis obedientiâ.

170. 2. *Hominem unum præ alio posse quicquam præstare, quo præstato, Deus ipsum fide donare velit.* Resp. Absurdum est, quod tamen ex hac doctrinâ nullatenus sequitur; Vim consequentiæ Crocius non exprimit; nec ulla usquam apparet; cûmpri-  
mis, quia diversitas efficaciam exinde provenit, quòd unus homo præ alio aliquid præstat, quo præstato, Deus ipsum fide *non donat*, id verò est repugnantia, pertinacia, irrisio, contemptus &c. de quo supra pluribus actum.

171. 3. *Fidei donum partim à Deo, partim ab homine pendere &c.* Resp. Et hic nihil deest, præter consequentiam. Negamus, requiri studium discendi; quod quisque afferat ad auscultationem verbi, neque id ex se quisquam potest, quod à nostrorum ullo unquam assertum, ut Crocius non absq; calumniâ dicat; sed hoc requiritur, ut nullus audiat cum intentione illudendi, persequendi, aut studio præconceptam opinionem contra hoc verbum retinendi, asserendi &c. sed ejusmodi impedimenta seponantur, quod homo non renatus potest, qui in conversione debet se habere *purè passivè*: Quapropter ut fidei donum cuiquam conferatur, pendet ab una & sola Dei gratiâ, quòd verò alij non item confertur, causa est in ipso, eandem Dei operationem (quippe ordinatam) impediente.

172. 4. *Deum efficaciter intus & foris operando nihil efficere, si homines non velint, proinde Dei potentiam hominum malitiâ superari.* Resp. 1. Ambiguitas latet in verbis (*si homines non velint*.) *Non-velle* enim aut est *purè negativum*, aut *conjunctum*, cum reprobatione & reluctantiâ; omnis non-conversus *non-vult*, *purè negative*, idcirco *negativum non-velle* nulli obstat, quo  
minus

minus convertatur, quemadmodum omnis piscis capiendus, dum cibum lætus captat, *non vult* in littus trahi, quippe prorsus ignorans, etiamne dolus & vis extrahens sub cibo lateat. Verum *non velle* conjunctum cum reprobatione & reluctantiâ, utiq; obstat, quò minus Deus efficaciter operans fidem excitet, quamvis ad hoc, ut fidem operetur, non requiratur aliquid *velle* auditoris: Et certè; aliter docere non possunt reformi. 1. si adversus Pelagianos, Pontificios, & Synergistas doctrinam de viribus naturalibus, & conversione salvam esse cupiant.

173. 2. Falsa instituitur oppositio potentiae Dei ordinatae, & malitiae hominum: si Deus absolutâ potentiâ, certaret cum homine, malitia hujus non elideret potentiam illius, quod in conversione Pauli Apostoli manifestè cernitur; *Act. 9. v. 1. 3. sq.* dum verò nobiscum agit per medium verbi, quod eò usq; vim suam exerit, quousq; homo aures non obstruit, & admittere recusat; ultra non operatur; ut ex ordinato usu potentiae Dei, absoluta potentia absurdè aestimetur: pari namq; consequentiâ non inferretur, pisciculus hami & retis vim elidens, & subterfugiens, efficit, quò minus à piscatore in littus trahatur, Ergò omne robur piscatoris superatur astutiâ pisciculi.

174. 3. *Vocatio Interior, quæ fidei donum & perseverantiam secum affert, à Paulo electioni subordinatur. Rom. 8. v. 30. Quoscunq; prædestinavit, eos vocavit. Et hos appellat vocatos secundum propositum Rom. 8. v. 28, absolute vocatos. 1. Cor. 1. v. 24. Ecce igitur neminem hoc nomine vocari, nisi qui est prædestinatus. Aut igitur omnes fatere prædestinatos ad salutem, qui externè vocantur; aut agnosce quosdam, qui externè vocantur, non interius trahi & fide donari; quod docui, & Christus confirmat his verbis. Ioh. 8. v. 47. Qui ex Deo est, Dei verba audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis & Ioh. 10. v. 26. Sed vos non creditis: non enim estis ex ovibus illis meis, sicut dixi vobis. Crocius l. d. p. 410.*

175. Resp. 1. Nemo diffitetur, ei vocationi, quæ fidei donum, & perseverantiam secum affert, electionem connecti; unde sequitur, omnem electum esse vocatum: vicissim tamè non sequitur; omnem vocatum esse electum: Cùm Apostolus non dicat, quoscunq; vocavit, hos prædestinavit; sed, quos prædestinavit, eos vocavit: igitur elenchi ignoratio committitur.

H

2. Ejus

2. Ejusmodi verò subordinatio, qua præsuppositâ electione, fiat vocatio, restringendo nimirum illius latitudinem ad amplitudinem electionis, probari non potest; siquidem expressè ait Christus; *multi vocati, pauci electi. Matth. 20. v. 16.* Et adversarii inviti agnoscunt, vocationem latius patere electione. Vide *Bez. resp. 2. ad Act. Colloq. Mompelg. pag. 93. 95. 96.* Quod salvâ subordinatione illa fieri non potest.

176. 2. Quomodo Christiani dicantur vocati *secundum propositum*, & voce absolutè sumtâ, vocati, superiora declararunt *thes. 88.* Quæ ex *Ioh. 8. v. 47. & cap. 10. v. 26.* adducuntur, centies confutata sunt; Non intelligit Christus auditum externû, quo etiam hostes Christi conciones ejus audierunt; sed internum, qui est assensus cum obsequio voluntatis conjunctus; atque de hoc rectè dicitur; *qui ex Deo est, verba Dei audit; vicissim, qui non audit, ex Deo non est;* siquidem audire, seu assensum præbere, est opus Dei, quod non reperitur nisi in illis, qui ex Deo sunt. Item: *Oves Christi credunt, & nulli non credentes sunt Christi oves;* hinc verum est; *vos non estis, ex meis ovibus, Ergò non creditis &c. Vos non creditis, Ergò non estis ex meis ovibus:* utrumq; verum est, salvâ universali hominum vocatione, quæ locum habet, ubi ea per malitiam & incredulitatem auditorum repudiata fuerit.

177. 4. *Deus non dat ubiq; incrementum, nec idem profectus vocationis apud omnes.* Kimedont. lib. de prædest. pag. 169. *Quamvis per ministros verbi & gratiæ Dei, eadem cunctis veritas, eadem gratia predicetur, eadem cohortatio adhibeatur, non idem tamen profectus apud omnes sequitur. Siquidem alii ex Evangelii auditione proficiunt, alii non proficiunt, imò indurantur; & qui proficiunt, non ad eundem modum incrementi omnes proficiunt. Unde tanta disparitas, nisi ex disparitate gratiæ vocantis?*

178. Resp. 1. Non quæritur, quo successu Deus vocet omnes, sed an vocet? ut aliud est quærere, an sol virtute suâ beneficâ omnes agros fœcundet? & quo eventu & effectu fœcundet? prius verum est, de posteriore dicendum, multos agros manere steriles absq; omni fructu. 2. Deus, ut vocat per verbum, sic per verbum fidem operatur. *Rom. 10. v. 17.* propterea per idem verbum largitur incrementum; hinc verbum admittens, simul  
admittit

admittit operationem incrementi, & prohibens abs se verbum, hoc ipso prohibet, quò minus Deus incrementum verbi operetur. Etenim, DEUS semper adit incrementum, quod tamen ille, qui verbum unà cum omnibus effectis rejicit, in semetipso impedisse, vel maximè dicendus est.

179. III. *Exempla.* Horum adducuntur aliqua. 1. *Quorundam Infantum.* Kimed. de præd. p. 168. Atq; , ut magis etiam elucescat, vel externâ Evangelii prædicatione Deum non omnes sigillatim dignari, quid dicemus de tot millibus parvulorum, qui quotidie è vivis excedunt & excesserunt hætenus, priusquàm ratione uti possint, & vel minimum de gratiâ Evangelica audierunt. 2. *Gentilium*, qui ante Christum natum vixerunt: de quibus prolixè admodum agit Ietzlerus lib. de fructu mortis Dominice ferme per totum. 3. *Phariseorum*, qui à patre non sunt ad Christum pertracti. 4. *Judæ*, qui & ipse ad Christum vera fide nō accesserat. Hæc Croci 9. l. d. p. 411.

180. Resp. ad primum. 1. negamus, quòd aliqui infantes non vocantur, (dum sunt Infantes) hinc particularem reddi vocationem; quia si iidem, adultiores facti, vocentur, utiq; vocantur omnes; nos enim dicendo, omnes vocari, nequaquam dicimus, in quavis hominum ætate omnes vocari. 2. Si hinc æstimanda est latitudo vocationis, neq; omnes electi vocantur, quia multi infantes (qui electi sunt ad vitam) non vocantur, si vocatio de solenni prædicatione verbi accipiatur, sensu Calviniano. 3. Negamus, quosdam infantes non vocari; aliqui enim vocantur *baptismo*, omnes 1. *naturali instinctu*, qui, etsi eum in ætate infantili non sentiant, in primâ tamen infantia illis est insitus. 2. In *parentibus*, ac stirpibus suis, de quo suo loco.

181. Ad secundum: Omnes gentes omni tempore vocatæ sunt, sed. 1. non *solenni prædicatione*, qualis contigit solis Judæis Psal. 147. v. 19. 20. 2. neque institutâ concione *in loco habitationis* ipsorum: Quod enim unius urbis incolis templum est, ad quod campanæ sono vocantur, ut illic verbo vocentur, id orbis habitatoribus Ecclesia est, cujus fama illo etiam tempore illustris fuit, ut Judæorum gens, & cultus per omnes sub sole nationes celebraretur, testante Luca, Act. 2. v. 5. Committitur ergò fallacia à dicto secundum quid &c.


H. 2

Nam,

182. Nam, ut absurdus foret civis, qui dicerent: Ero excusatus in iudicio Domini, si fidei expertus inventus fuero, quia Deus nullum preconem ad auras meas unquam misit, qui nos vocaret, & fidei verbū prædicaret; absurdus, inquam, quia singulis ferè diebus sonitu campanarum extra suam domum, ad templum vocatus fuit, ut illic verbum vocationis cognosceret; quò pervenire facilè potuisset: Ita æquè absurdi forent gentiles hoc prætextu, à reformatis conficti, in iudicio Christi se excusaturi; Excusati sumus in iudicio Domini, si fidei expertes inveniamur, quia Deus nullum preconem ad nostram regionem ac terram misit, qui nos vocaret, ac fidei verbum prædicaret; absurdi, inquam, quia famâ Ecclesiæ extra suas terras ad Ecclesiam vocantur, ut illic verbum vocationis cognoscerent, quod æquè facilè præstare potuissent, ac quando è regionibus longinquè distitis inanes & evanidas merces asportant. Tacemus modos vocationis cæteros, quos supra tetigimus.

182. Ad tertium & quartum; Phariseos, Judam proditorem, adde alios pertinaces Christi, verbiq; ejus hostes, omninò vocatos fuisse, quod qui negat, historiam Evangelicam in universum ignorat, nescit etiam, virtutem verbi corda *Phariseorum* repugnantium sic convicisse fortiter, ut scirent, ipsum esse doctorem cœlitus missum. *Ioh 3. v. 2.* quamvis huic vocationi non paruerint, sed Spiritui Sancto reluctati. *Actor. 7. v. 51.* Verbum vocationis repulerint, semetipsos indignos judicantes vitâ æternâ. *cap. 13. v. 46.* Quæ inobedientia vocationi (quatenus ea ex parte vocantis æstimatur) nil quicquam detrahit. *Judas* proditor sic vocatus fuit, ut ad tempus vocationem acceptaret, imò vocaret etiam alios; perseveranter tamen non credidit, ut à vocatione prius grato animo acceptatâ devius, in damnationem sese præcipitari fuerit passus.

DEO SOLI GLORIA.



05 A 1915

ULB Halle 3  
003 784 924  



VD17

64









DISPUTATIO  
THEOLOGICA  
De  
UNIVERSALI  
OMNIUM HOMINUM  
AD REGNUM COELORUM  
VOCATIONE;

Deo Opt. Maxim. Adjuvante,  
*In Inclytâ VVITTEBERGENSI ACADEMIA,  
Publici Exercitii causâ proposita*

à  
NICOLAO HUNNIO,  
S. S. Theolog. D. & Prof. Publ.

RESPONDENTE  
M. LUDOVICO DUNTE  
Revaliensi Livono.

*Ad diem 21. Junij, In Auditorio majore,  
horis matutinis.*

---

WITTEBERGÆ  
Excudebat JOHANNES GORMANNUS,  
Anno M DC XXII.